9488

Dialogi Tacitini

qui fertur de oratoribus quae genuina fuerit forma.

Scripsit

Professor Eduard Philipp.

Vindobonae, MDCCCLXXXVII.

Sumptibus c. r. gymnasii reg. II. Vindobonensis.

Formis Ioannis B. Wallishausser.

Dialogi Tacitini qui fertur de oratoribus quae genuina fuerit forma.

Nostris temporibus si quis in Taciti Dialogo navata opera aut operae gratiam se esse initurum aut ingenii sui facem hominibus doctis porrecturum speraverit, vehementer errabit. Adeo sunt quaecunque ipse protuleris sive de auctore sive de materia aut forma Dialogi copiosius et ornatius quam possis ab aliis iam tractata. In hoc rerum statu nihilo minus ea studia colentibus nobis non tam ut doceremus eos, qui eadem in re elaborassent, scribendi incitamentum fuit, quam illis, qui sive ingenio sive labore et constantia id consecuti essent, ut omnium fere rerum et artium scientia gloriaque florerent, inanes et elingues ne videremur. Itaque necessitate quadam officii coactis nobis virorum doctorum, si quibus adversabimur, opus erit venia. Quam non petissem, si aeque in mea potestate esset tacere quam haec emittere.

Iuveni admodum mihi cum studiorum Latinorum exactor primum Cornelii Taciti Germaniam, tum ab excessu divi Augusti libros discendos tradidisset, mox Dialogum perlegenti optime fecisse ii videbantur, qui hunc librum magno illi rerum scriptori abnuendum censerent. Alienae enim esse mihi videbantur huius sermonis sententiae minus reconditae et ornata verborum copia ab obscuriore illo et breviore, quod ante cognoveram, genere dicendi.

Ac paulo post cum Ciceronis Oratorem ad Marcum Brutum de optima dicendi forma docentem audissem — qui me nescio an unus retinuerit, quominus his grammaticis studiis relictis ad aliam quam dicimus facultatem me transferrem — cum eiusdem libros rhetoricos quoque perlegissem, veri simile esse existimabam aliquem ex rhetorum officinis iuvenem, qui ad dicendum eniteretur, virium suarum periculum fecisse, ut Ciceronis similitudinem imitatione assequeretur, qua re Dialogum haberemus.

Labentibus deinde annis cum hominum doctorum de Dialogo quaestiones, in quibus et qualis quique liber esset et nomen auctoris ipsum ambigebatur, ex oculis nunquam dimisissem, magis magisque persuasum mihi est orbe quodam in hoc libro aestimando nos agitari propterea, quod haud paucis illorum id accidisset, ut in quo singuli antiquo scriptore maxime versati essent, ea similitudine Dialogum metiri vellent. Inde quae dubitationes ex proprietate libri verborum effluerent, in auctorem, quae ex nomine auctoris

nascerentur, in Dialogi sermonem redundare mihi videbantur ita, ut alterum alteri officeret et obstaret. Cui periculo ut minus obnoxius essem, optimam esse ratus librorum antiquorum fidem Tacitum scriptorem in dialogo secutus sum. Inde haec mihi dicenda esse videbantur.

I.

Taciti in libro, cui de oratoribus inscribitur, quae est Ciceronis imitatio, ea non tam perspicitur singulis elocutionibus ex sermonis Ciceroniani consuetudine sumptis quam universa dialogi adumbratione. Disputationis enim materia et argumentum totum fere est ingenii Tacitini, sermonis externa forma repetita est ex libris rhetoricis, quibus Cicero inscripsit ‚de oratore'. Tres habemus libros rhetoricos, tres partes dialogi: cap. V.—XIII. unam, cap. XVI.—XXVI. alteram, cap. XXVIII.—XLI. tertiam. Dividuntur inter se libri rhetorici singulis prooemiis, dialogi tres illae, quas diximus, partes brevibus prolusionibus. Primo Ciceroniano libro aedificii, quod extruendum est, fundamentum locatur, secundo domus aedificatur, tertio cubicula exornantur. Eadem in dialogo. Primas personarum partes Cicero dedit agendas Crasso, secundas Antonio, tertias Scaevolae, Catulo, Caesari, Sulpicio, Cottae. In dialogo primas partes sustinet Curiatius Maternus, secundas Vipstanus Messala, tertias Marcus Aper.

Quam aperta primum sit illa externae formae apud utrumque similitudo, iam perspicies, simulatque in comparationem vocaveris hos utriusque sermonis locos:

Tac. dial. cap. I.	=	Cic. de or. I. 2, 4—5
5—7.	=	I. 8, 30 squ.
11.	=	I. 17, 74
14.	=	II. 3, 12–14
16.	=	II. 7, 27
		II. 29, 126
28.	=	III. 37, 148
32.	=	III. 49, 187.

In prooemio componendo auctorem dialogi Ciceronis exemplar ita vidisti secutum esse, ut hic ad Quintum fratrem, ille ad Fabium Iustum amicum librum mitteret, uterque non suam proferre sententiam, sed repetere se sermonem hominum disertissimorum profiteretur.

In prima, quam statuimus, dialogi parte bis deprehendisti apertam Ciceroniani sermonis imitationem: primum in eis, quae Aper, ut disputationis fundamentum ponatur, profert de eloquentiae utilitate, dignitate, gloria, deinde in prima illa Materni personae introductione cum incipiat se artificio quodam mitigatum non luctaturum esse cum Apro.

Iam Messala, ut ad brevem illam secundae partis prolusionem transeamus, nonne eadem, qua apud Ciceronem in secundo libro Catulus, urbanitate intrat cum vereatur, ne forte molestus interveniat?

Secundae autem partis initio iisdem fere verbis, quibus Crassus et Catulus in rhetoricis, dialogi interlocutores impetrant inter se, ut progrediatur

quae incohata est disputatio, adiumentum suum promittentes, si quid in disputatione aut praetermissum aut relictum sit.

Tertiam denique dialogi partem eadem humanitate, qua Ciceronis Crassus, Messala exorditur verbis: pervulgatas res a se et ceteris non ignotas requiri. Finem quoque orationi imponit eundem, quem Crassus, notando vereri se, ne ineptiarum crimen apud ceteros non effugiat.

Minus iam notabilis est similitudo personarum. Tres quidem aguntur partes et hic et illic, sed omissa re illa paene necessaria, quod utrobique celeberrima fori ingenia inducuntur, non magnam reperies congruentiam. Sit sane Aper aliqua Antonii Ciceroniani non dissimilis figura in eo, quod ille *ingenium suum alienarum artium adminiculis inniti videri* non vult, Antonius semper existimavit iucundiorem et probabiliorem populo Romano eum oratorem fore, *qui nullam Graecarum rerum significationem daret*[1]). Quo in genere eodem iure Aprum comparare potes Crasso, qui *despiciebat Graecas litteras et suorum hominum prudentiam Graecis anteferebat*[2]). Sed fuit hoc commune hominum Romanorum et litteratorum, ut nollent videri Graeca didicisse.

Rectius in dialogo iudicabimus, si personarum partes ita mutatas distribuerimus, ut Maternum Crassi Ciceroniani personam gerere statuamus, secundas partes, quas apud Ciceronem Antonius obtinet, Messalae vindicemus, Apro tertias.

Crassum enim, ut iam probemus ea, quae posuimus, librorum rhetoricorum auctor fecit ea dicentem, quae ipse sentiebat de omni ratione dicendi adeoque divinis ornavit laudibus, ut vere amore plura, quam fuerint in illo, dixisse videatur. In dialogo autem quis trium qui disputant profert reconditas et gravissimas auctoris sententias nisi Maternus? Materni sententiam, quae legitur dial. cap. LXI. nisi in liberis civitatibus eloquentiam magnam esse non posse sine dubio scriptor ipse comprobavit. Materni in aedes disputantes conveniunt, idem finem facit sermoni[3]).

Secundas partes dialogi agit Messala. Is enim veterum oratorum, quibus auctor et ipse favet, laudator non modo *de infinita*, quae inter antiquos et recentiores intercesserat, *differentia quaestionem* instituit, qua in re causa vertitur, sed etiam unam differentiae causam explicat.

Aper, recentiorum patronus, tertias partes agit. Neque enim acutas admodum aut praeclarissimas profert sententias et satis dilucide iam in prooemio indicavit auctor dialogi Aprum omni eruditione *imbutum*, non *instructum* fuisse[4]).

Secundus, cui *in quantum satis erat, profluens sermo non defuisse* videtur, *quotiens cura quoque et meditatio accesserat*[5]), aliquantum adiuvat ita, ut comitate sua complectatur disputantes.

---

[1]) Tac. dial. c. 2 Cic. de or. II. 1, 4 II. 36, 153.

[2]) Cic. de or. II. 1, 4.

[3]) Conf. Weinkauff. De Tacito dialogi qui de oratoribus inscribitur auctore Coloniae Agripp. 1881 p. 20.

[4]) Quid interesse inter has duas res existimandum sit, perspicies ex dial. cap. 19.

[5]) Dial. cap. 2. cap. 16.

Praetermissa autem hac similitudine, quae est nonnulla in externa dialogi et librorum rhetoricorum discriptione, ceterum et in personis et in rebus fere omnia invenies contraria. Colloquuntur in rhetoricis homines natu maiores, in dialogo iuvenes quadraginta annis minores. Messala enim, ut ex certioribus initium sumamus, *legioni septimae Claudianae tribunus* bello civili Vespasianas partes secutus, *claris maioribus, egregius ipse et qui solus ad id bellum artes bonas attulisset*, anno LXX. p. Ch. n. nondum fuit *senatoria aetate*[1]). Is igitur eo anno, quo sermo habitus esse narratur, vix fuit trigenarius.

Marcus Aper, homo in civitate Galliae *minime favorabili* natus, quaestura, tribunatu, praetura functus, quamvis celeberrimum tum fori ingenium, qua est in disputando *vi et ardore,* ob id ipsum multis annis Messalae praestitisse vix putandus est.

Curiatius Maternus, ex oratore poeta, qui *Catonem, Medeam, Domitium* tragoedias confecit, cum in dialogo se *in causis* quoque *eniti fortasse* posse speret, quadragenarius esse et ipse nondum videtur. Accedit hoc in personis contrarium, quod Ciceronis in disputatione nullae sunt partes, auctor dialogi adest in disputando, sed persona muta[2]).

Maxime autem sui iuris est Tacitus in inveniendis rebus. Hoc certe in genere eximium quoddam historici scriptoris ingenium promptum et apertum est. Neque enim oratoris, qui conformandus est, initia et gradus tractantur velut quaedam eloquentiae educatio, aut clarorum oratorum, qui et quales fuerint, censura neque disputatio quaedam perfectissimum oratorem exprimens — quae materiae subiectae sunt Ciceronis libris de oratore, Bruto, oratori: reconditis magis magisque abditis fontibus dialogi materia nec opinato hauritur.

In prima parte a parvo orta initio Apri et Materni quasi altercatio, praestantior sit ars oratoria an poetica, in secunda recentiorum et veterum oratorum, Apri et Messalae, quidam congressus: diiudicatur iam victoria tertio certamine inter Messalam et Maternum, qui cur recesserint recentiores in oratoria laude rerum causas explicant[3]).

Hac in disputatione materia et forma tam arte cohaerent, ut qui quartum pugnatorem Secundum uno aliquo loco inserere velint, recte vidisse non videantur. Bis enim singuli cum singulis manus conserunt, ut congrediendi Secundo non sit facultas nisi ter data.

Iam igitur dialogi argumentum breviter perlustrabimus ita, ut singularum partium quae sit praestantia ac pondus deinceps perpendamus.

Prooemium cap. I.—IV. Auctor dialogi cum saepe cum Fabio Iusto quaestionem tractasset, cur ipsorum *potissimum aetas laude eloquentiae orbata* esset, non suam proferre sententiam statuit, sed *repetere sermonem hominum disertissimorum, quos eandem quaestionem pertractantes iuvenis admodum* audisset.

---

1) Tac. Hist. III. 9. 11. 25. 28. IV. 42.

2) Conf. deinceps dial. cap. 2. 7. 11. 17. 24.

3) Dial. cap. 5—13, 16—26, 28—41.

Hoc principium, quia ex intima causa quae agitur sumptum est, non adfictum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore sermonis cognoscitur membrum. Neque tali exordio, quo qui narrat se ipsum inducit, utitur is, qui fictam aliquam rem narrare velit.

Sequitur iam brevis narratio. Veniunt in aedes Materni Aper et Secundus, *celeberrima tum fori ingenia*, qui mirantur, quod Maternus fastiditis orationum causarumque studiis omne nunc tempus in tragoediis consumat, earum recitatione *offendat potentium animos*. Monet Secundus, ut quae pravae interpretationi materiam dederint, eximat et tollat poeta, vituperat Aper, quod tot tantisque fori negotiis occupatus ad leviora studia descendat. Maternus neque monentem neque vituperantem audiens *augustiorem hanc et sanctiorem eloquentiam* a se iam coli profitetur.

Quae narratio, quia et distincta est personis et interpuncta sermonibus, non solum delectationem habet sed etiam ea re, quod ipsius narrantis qui fuerant magistri in dicendo, quos assectabatur *mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili*[1]), disputantes inducuntur, fit probabilis. Ambigunt nostris temporibus viri docti, utrum finxerit Tacitus totum qui iam sequitur in libris sermonem an vera narraverit. Nonne simillimum veri videtur auctorem dialogi, ut singulari quadam modestia legentium benivolentiam sibi pararet[2]), quae ipse dicere voluerit de saeculi sui eloquentia, ea Apro, Messalae, Materno subiecisse? Finge tu sermonem aliquem ab eis, qui te docuerint, aliisque viris, qui erunt vitae dignitate te ampliores, habitum et emitte foras: sive optimas sive minus acutas tuas sententias eis suggesseris, utrimque offendes: illud, quia docere eos, hoc, quia famam eorum et existimationem in discrimen adducere videberis. Cuius impudentiae memoriam, quoad vivent, tibi servabunt. Potuit Cicero hominum mortuorum sententiis bene suas suggerere, cum illud, quod notavimus, crimen effugeret: potuit Plato Socratis ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis tradere: non potuit Tacitus de aequalibus et vivis vera non dicere.

Sermonis pars prima cap. V.—XIII. Iam causa, quae in controversiam venit, constituitur quasi in foro ac iudicio. Accusat Aper, reus fit Maternus, iudicabit Secundus. Controversia est, utrum sit praestantius, studium oratorium an poeticum. Laudat Aper eloquentiae studium et quanta utilitas sit eius expromit quantamque eis, qui sint eam consecuti, dignitatem afferat et famam. Quae affirmavit, ornat exemplis se ipsum, Eprium Marcellum, Vibium Crispum nominatim proferendo. Addit causae firmamenta infirmandis contrariis. Reprehendit poetarum studium, quod neque dignitatem ullam conciliet neque adiumento sit neque laudi. Exempli causa notantur Maternus et Saleius Bassus. Poetis in solitudinem esse secedendum, mediocres nemini notos, bonos paucis: eorum studium minus etiam esse securum quam oratorum. Itaque monet, ut ab auditoriis et theatris in forum et ad vera proelia Maternus rediret.

---

[1]) Dial. cap. 2.

[2]) Iudicavit sic Iansenius iuvenis in specimine litterario summa laude digno De Tacito Dialogi Auctore Groningae 1878. p. 19. 61.

Aper igitur hominem se praebet, qui omnem doctrinam et studium suum ad vitae conferat usum et utilitatem. Qua in re sicut recte illum iudicasse non prorsus poteris negare, ita hoc tamen quam maxime te taedebit, quod Eprios Marcellos et Vibios Crispos beatos praedicat fortunateque vivere istos existimat. Quippe notum est utrumque eorum *acri qua erant eloquentia inter claros habitum omne accusationum genus inde a Neronis temporibus factitasse. Quibus artibus ad summum paene fastigium enixi etsi potentissimi tum civitatis, principes in Caesaris amicitia agebant ferebantque cuncta,* tamen uterque *memoria delationum erat invisus*[1]).

Quanta contra suavitate afficitur animus in legenda illa quae sequitur oratione Materni. Delatum enim te vides in tempora illa felicia, quibus deerant, si Ovidio poetae credere licet, *fraudesque dolique*

insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.

Unumquidque eorum, quae Aper protulit ad suam causam defendendam, infringitur et refutatur Materni oratione, quae quamvis multo brevior neglecto argumentorum ordine progrediatur, tamen ad ingenia nostra est efficacior. *Integer vitae scelerisque purus* est ille vir, qui *statum cuiusque ac securitatem melius innocentia quam eloquentia* defendi[2]) hoc loco profitetur similisque ipse hominum illius aetatis, *quae vindice nullo*

sponte sua sine lege fidem rectumque colebat.

Quam orationem *poetarum quam oratorum similiorem* non in partes dissecabimus. Id unum affirmamus: si hoc unum extaret Dialogi monumentum, non dubitandum fore, quin a Tacito scriptore esset compositum. Idem desiderium simplicitatis et fortunae eorum mortalium, qui *nulla adhuc mala libidine* agebant, quod in Germania, idem praesentium malorum taedium, quod in Agricola, eadem rerum initia et causas scrutandi ratio, quae in Historiarum libris et Annalibus obvia.

Pars altera cap. XVI.—XXVI. Iam disputantibus tertius intervenit, Vipstanus Messala. Is laudator temporis acti quia per ironiam Aprum et Secundum antiquo nomine appellavit *oratores* probavitque ironice, quod Aper *otium suum* mallet *novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere*[3]), offendit prope Aprum novorum sectatorem. Cum suam causam uterque tueatur, Messala etiam hoc roget, *ut aliquis infinitae inter antiquos oratores et novos differentiae causas scrutetur ac reddat,* iam descendunt in certamen. Aper prior ad defendendam suam aetatem se accingit, quam pulchriorem et ornatiorem in dicendo extitisse sibi persuasit. Novorum laudem probare si prospere ei successerit, res transacta erit neque habebit aut Messala aut alius, cur differentiae causas quaerat.

Videamus igitur, quomodo armis Aper utatur, ut recentioribus paret victoriam. Tria sunt omnino, quae ab eo ponuntur. Primum vocabuli contro-

---

[1]) Tac. Hist. II. 10, 53, 95. IV. 7, 42. Annal. XII. 4. XIII. 33. XVI. 22 squ.

[2]) F. Ritteri coniecturam secuti sumus probatam a Vahlenio in indice lect. Berol. 1878/9 p. 8.

[3]) Dial. cap. 14.

versiam movet[1]). Probare enim studet nullo iure distingui *novos* et *antiquos* oratores. Deinde *formas et genera dicendi mutari cum temporibus et diversitate aurium* monet[2]). *Iudicio et intellectu* recentiores oratores inde a *Cassio Severo deflexisse a vetere dicendi via*, cum non iam satisfaciat *impexa antiquorum simplicitas* huic aetati magis et eruditae et politae. *Laetitiam et pulchritudinem orationis poeticumque decorem exigi nunc ab oratore.*

Postremo brevi antiquorum recognitione[3]) nominatim reprehendit *Calvi, Caelii, Bruti, Caesaris, Asinii, Corvini, Ciceronis* multa antiquitatis vitia: *sordes verborum, hiantem compositionem, sensus inconditos.*

Hac in argumentatione ad laudem novorum suscepta primum id offendit, quod Aper contentionis cupidior quam veritatis non tam aperiat novorum oratorum proprias virtutes quam veterum vitia. Deinde hoc maxime admiramur eum, quod nobis in antiquis oratoribus exagitandis ipse esse orator antiquissimus videtur.. Illud a Messala vituperatur[4]), hoc quem auctoris partem tueri supra diximus Maternus admiratur[5]). Et profecto rectius iudicari non potest de Apri argumentatione neque apertius, si quidem scriptor dialogi ipse, quibus ex fontibus haec Apri oratio effluxerit, Maternum faciat prodentem.

Unde igitur mutuatus est auctor hanc dialogi partem et ea, quae Aper ad laudandam suam aetatem — immo vero ad reprehendendam antiquitatem attulit?

Primum illa nominis controversia effluxisse videtur e Ciceronis Bruto, in quo[6]) legimus vocabulis *senes adulescentes, veteres recentes* ambiguam quandam rei significationem inesse ita, ut qui oratores ad Graecorum annalium rationem sint recentes, iidem veteres apud Romanos vocari possint. Quae sententia apud Ciceronem obvia apte conformata est ad eam rem, quae agitur hoc dialogi loco, neque sine elegantia, ut non habeamus, quod Aprum accusemus de stulto quodam artificio.[7])

Deinde illud argumentum, quod monet Aper singulas aetates singula prope genera dicendi extulisse, id primum prolatum videmus apud Ciceronem in secundo libro disputationum, quae sunt de oratore[8]), et illustratum universa Bruti Ciceroniani materia, quippe qua singularum aetatum in dicendo progressus inveniantur. Qua in re neminem fugiat dialogi Cassium illum Severum respondere Ciceronis Demetrio Phalereo, *qui primus inflexit orationem et eam mollem teneramque reddidit*[9]).

---

1) Dial. cap. 16—17.
2) Dial. cap. 18—20.
3) Dial. cap. 21—23.
4) Dial. cap. 26.
5) Dial. cap. 25.
6) Cic. Brut. cap. X. 39, 41.
7) Id quod fecit Andresenius in edit. dial. Lipsiae 1879 p. 6.
8) Cic. de or. II. 22, 92.
9) Cic. Brut. IX. 38.

Ne censura quidem illa quorundam veterum aliena est a **Bruti** Ciceroniani materia, id quod infra, cum de Calvo imprimis erit dicendum, videbimus. Nunc ad Messalae veniamus responsum.

Aper causam suam neque Messalae neque Materno probavit. Maternus adeo non assentitur, ut etiam moneat Messalam, ut missa antiquorum laudatione, quos sua satis laudet fama, causas potius expromere velit, cur in tantum recesserint ab eloquentia recentiores. Nihilo minus hic tria illa, quae Aper posuit, brevi refutat oratione[1]. Primum docet nominis illam controversiam non spectare ad rem, deinde temporum et aurium diversitatem non esse impedimento, quominus singularum aetatum singulares virtutes in dicendo agnoscantur et probentur, denique veterum vel vitia anteponenda esse affirmat recentiorum verborum lasciviae, levitati sententiarum, compositionis licentiae. Quae omnia cum sint perspicua, non est, quod longi simus.

Pars tertia cap. XXVIII.—XLI. Quoniam igitur in confesso est antiquos maiore eloquentiae laude floruisse quam novos, facillimus patet aditus ad tertiam ac summam quaestionem, quaenam intercesserint causae, qua re oratores non iam tales sint, qui quondam fuerint. Haec quaestio ab auctore dialogi primo exordio proposita, postquam ab intrante Messala allata est, identidem monente[2] Materno tractatur denique tertio certamine inter Messalam et Maternum.

Enumerat Messala familiarum et domuum mala: negligentiam parentum, desidiam iuventutis, inscientiam praecipientium, oblivionem moris antiqui. Adhortante Materno progreditur ad perversas novorum rhetorum exercitationes[3]. Addit Maternus rei publicae mutatam formam, praecipuam et gravissimam causam. Sive enim dicendi materiam, sive praemia et honores dicentium, sive magnitudinem litium, sive consuetudinem iudiciorum respicias, haec omnia dicit iam mutata esse. Quae sicut non dubitat, quin magna attulerint oratoriae eloquentiae detrimenta, ita nescit, an in melius sint conversa[4].

His duabus in orationibus quanto plus perlucida sunt verba Messalae, quibus utriusque saeculi puerilis educatio et oratoriae adulescentium exercitationes distinguuntur, tanto magis in aenigmata exire videtur Maternus. Messalae enim orationem crebro audisti concinentem cum sententiis apud Ciceronem in tertio libro rhetoricorum, Bruto, oratore obviis, quibus omnem omnium artium et studiorum varietatem et scientiam comprehendendam esse oratori demonstratur[5]. Maternum contra nullius vides nisi sui ipsius similem et eius, qui Agricolam, Germaniam, Historias, Annales confecisse creditur. Sui quidem ipsius similis est Maternus in ea re, quod *supervacuum* fore existimat *oratorem inter innocentes et in obsequium unius et sapientissimi*

---

[1]) Dial. cap. 25—26.
[2]) Dial. cap. 1. 15. 24. 27.
[3]) Dial cap. 28—35.
[4]) Dial. cap. 36—41.
[5]) Verborum etiam concentum in rebus singulis audies Cic. de or. III. 20, 74. III. 24, 94 III. 30, 121.

paratos[1]). Qua in fingenda civitate redisse eum vides ad aureum illud saeculum prioris Materninae orationis et ad illos dis genitos reges et antiquissimae eloquentiae unam illam speciem et formam, ut non iam — id quod maxime contrarium apud Ciceronem[2]) — abeat et evanescat in homine oratore homo philosophus et poeta, sed contra orator in philosopho. Ita quem ingenio dissimilem Apri priore oratione cognovimus, eius iam dissentientes a Messala mores videmus. Taciti autem simillimus perspicitur Maternus, cum primum comparantur inter se, quae de aurei saeculi innocentia, legum origine, senatus et populi certaminibus in civitate libera, de modo ac temperamento adversus principem hoc dialogi loco et ceteris in Taciti operibus leguntur[3]).

Iam igitur, ut uno conspectu omnem dialogi materiam videamus, in nulla parte, quas tres esse diximus, contrarias et oppositas res et personas desideravimus. Quidquid ubique spectas, sive educationem puerorum, sive exercitationes adolescentium, sive iudiciorum formam, sive rei publicae disciplinam, duarum aetatum imagines adumbratas et dissentientes antiquorum et recentiorum mores descriptos legisti. Eloquentiae autem lucem et orientem et fulgentem et flaccescentem vidisti reique causas. Hac in cura quid indignum rerum scriptoris ingenio?

II.

Taciti Dialogo homines docti inde a Lipsii temporibus[4]) permultas adiunxere quaestiones rationem temporum, sermonis differentiam, codicum fidem maxime continentes. De materia enim et in personis non tam dubitant, quin pleraque disputationis recte sint composita, quam scire cupiunt, quid fuerit causae, quod auctor dialogi Aprum et Secundum, cum celeberrima fori ingenia tum ipsius magistros, minus liberaliter tractaverit. Aprum enim apparet inferiorem ex certamine decedere, Secundum ne manus quidem conserere. Quam ob rem ut aliquatenus impietatis crimine Tacitus duorum illorum sectator, quem generum piissimum fuisse docet Agricola, liberetur, Secundo disputandi potestatem faciunt alii in lacuna ista, quae extat sub finem capitis XXXV. in codicibus[5]), alii lacunae finem et capita XXXVI.—XL., quae pars est Materninae orationis, dant Secundo[6]). Spectant enim utrique illud quoque, quod Maternus cap. XVI. promisit se et Secundum partes a Messala relictas executuros.

Quarum opinionum utramcunque sequeris, primum compositionis concinnitatem et numerum turbabis[7]). Deinde alterum remedium, quo quae Ma-

---

[1]) Dial. cap. 41.

[2]) Cic. de or. III. 15, 56. Brut. VI. 21.

[3]) Conf. dial. cap. 36—41 deinceps cum Germania cap. 19. Hist. III. 2. IV. 13. Ann. III. 27 Agricola cap. 42.

[4]) Prodiit prima Lipsii editio Antverpiae anno 1574.

[5]) Peter in editione dialogi Ienae 1877. praef. p. 19, Baehrens in ed. dial. crit. Lipsiae 1881, pag. 93.

[6]) Steiner in programmate Crucenacensi a. 1863, Weinkauff p. LXXX—LXXXIV. Andresen in editione dial. Lips. 1881. p. 7, 63.

[7]) Conf. supra p. 6.

terno subtracta sunt Secundo admoventur, alienissimum est a Secundi anxii hominis moribus, id quod recte contra Steinerum probare Baehrensius mihi quidem visus est, alterum — lacunam, quae est, explere ficta Secundi oratione — praeterquam quod nulli est usui, vetatur omnibus fere libris manu scriptis, quippe qui — id quod videbimus infra — tantum spatii non habeant, quod occupet Secundi aliqua oratio. Quae etsi inveniretur, num Apri alterius magistri partes, quas agit, fierent meliores?

Duae res igitur in Apro et Secundo quaeruntur, primum cur utriusque famam auctor dialogi in discrimen prope adduxerit, deinde qua re ne promisso quidem Materni, quod legitur cap. XVI., steterit. Illud prius non difficile auguratu, hoc leve est. Tacitus enim, cum persuasum haberet eloquentiam in civitate magis magisque iam obmutescere sub principe, non habuit, quod disputantes causidicos fingeret tales, ut omnibus numeris perfecti essent oratores, quibus querendum fuisset, quod *natura sua admirabilis et exquisita doctrina non iam curriculum haberet in civitate,* id quod in Bruto questus est Cicero[1]). In eloquentiae deminutione probanda — quod vero maxime rem causamque dialogi continet — necesse quodam modo erat causidicos eam quam profiterentur artem et defendere et inferiores recedere. Alterum autem illud, quod Secundus, quod suo nomine promisit Maternus, praestare debeat, hoc nego. Urbane agit Maternus verba Secundi prospiciens, quae facturus sit hic necne, penes ipsum est. Ceterum quod ne praeceptores quidem suos auctor dialogi maioribus ornavit laudibus, quam quantum satis ei videbatur, id ipsum simillimum videtur naturae et indolis Tacitinae.

Iam temporum vestigia tria sunt distinenda: unum, quo tempore sermo habitus, alterum, quo compositus, tertium, quo vulgatus esse putandus sit.

Disputatio amicorum quando fuisse putanda sit, intra anni spatium accurate definitur Apri verbis cap. XVII. *ac sextam iam felicis huius principatus stationem,* quibus verbis imperii Vespasiani sextus annus sine dubio denotatur. Quia *initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriae coeptum* est Kal. Jul. LXIX. p. Ch. *qui primus principatus dies in posterum celebratus* est[2]), eligas licet inter menses XII vel dies CCCLXV eius anni, qui a Kal. Jul. LXXIV. usque ad Kal. Jul. LXXV. pertinebat. Me si interrogabis, menses hibernos anteponam aestivis, cum praesertim pridie sermonis, qui est in dialogo, Catonem tragoediam Maternus recitaverit[3]). Quas poetarum recitationes quamquam scriptum legimus apud Martialem ne aestate quidem intermissas et ea re audire coactis maximae saepe molestiae fuisse, tamen Materno, Taciti amico, id dederim, ut arrogantiae crimine eum liberem. Ceterum neque diem neque mensem premo.

Anni autem LXXIV. ultimi menses commendantur ea re, quod Eprium istum Marcellum, qui dial. cap. VIII. dicitur *non minus* notus *esse in extremis partibus terrarum quam Capuae*, proximis annis LXXI.—LXXIII. Asiae proconsulem fuisse constat ex Inscript. Capuana. Idem quia ipso anno LXXIV.

---

1) Cic. Brut. VI. 22.
2) Tac. Hist. II. 79.
3) Dial. cap. 2.

erat consul suffectus, profecto disputantibus *exemplum* esse potest *non auditu cognoscendum, sed oculis spectandum.*

Qua re iure mireris, quod contentionis cupiditas torqueat homines doctos nostrorum temporum, qui urgeant contra vexentque istos CXX annos, qui cap. XVII. inde ab Hirtio et Pansa consulibus colliguntur. Sive numerum rotundum posuit sive erravit Tacitus, in neutro magnopere haerendum est, cum praesertim parvum errorem legas dial. cap. XXXIV. in aestimanda Crassi aetate, qui apud Ciceronem[1]) ipse dicit se non *nonum decimum* aetatis annum id quod est in dialogo — agentem sed annos natum *unum et viginti* accusavisse Carbonem, numerum rotundum scriptum videas Hist. IV. 58, rotundiorem etiam Hist. IV. 74.

Iam ad alteram venimus quaestionem, quonam tempore Tacitus dialogum composuerit. Duae res pro certo possunt affirmari. Primum id quidem constat scripsisse auctorem aliquot annis post habitum sermonem, quia se *iuvenem admodum* homines disertissimos disputantes audisse in prooemio narrat. Alterum non minus in confesso esse potest hanc Taciti curam omnium eiusdem operum primam fuisse. Dialogi enim priores partes patefaciunt iuvenem in ipsa eruditionis et studiorum incude positum, tertia, qua causae explicantur, intellegendi graviorem iam auctorem. Quae cum ita sint, vix concesserim totum quem habemus sermonem uno eodemque tempore esse compositum.

Atque utinam primae saltem sermonis parti, oratorum et poetarum laudationi, adscripsisset Tacitus, quo die quoque mense et anno a Quintiliano, eloquentiae professore, datae essent adolescentibus illae laudationes exarandae, quando corrigendae traditae: quot quantasque curas ademisset recentioribus vacuosque fecisset maioribus studiis. Non habuissent inde a Lipsio duce doctorum virorum legiones, quod tot in castra discederent, postquam alii aliorum aequalium scriptorum colorem male defendissent. Quamquam — ut redeam ad laudationes, quas modo memoravi — equidem persuasum mihi habeo Taciti adolescentis commentationes a Quintiliano praeter ceteras supra modum esse laudatas.

Ut brevi quid sentiam proponam: non emicuisse videtur totus simul dialogus e Taciti ingenio quasi pugnax Minerva. Paulatim putandus est scriptor cogitationes acri studio perceptas, mente et memoria ad sermonis similitudinem adumbratas mandavisse litteris. Quo anno quoque mense hoc fecerit, intra annos LXXX.—XCVI. plane incertum est.

Vulgatum autem esse libellum veri simillimum est paulo ante Agricolam et Germaniam XCVI.—XCVII. p. Chr. Neque enim ea quae de Eprio Marcello et Vibio Crispo delatoribus in dialogo cap. VIII. XIII. leguntur aspera iudicia neque Apri et Materni nomina[2]) vulgari potuerunt ab auctore bene sano illis vivis. Illud impedimentum obstat, ne Domitiani temporibus, alterum ne iam Vespasiani aut Titi imperio sermonis editionem assignemus.

---

[1]) Cic. de or. III. 20, 74.

[2]) Conf. supra p. 7.

Recte enim viderunt hac in re et Nipperdeius[1]) et Andresenius[2]), neque Steiner et Iansenius [3]) Nipperdeium sibi non constitisse recte monent, si quidem constet Vipstanum Messalam, qui cum Apro et Materno disputaret in dialogo, post annum XCVIII. diu inter vivos fuisse: qua re quae Apro et Materno vivis vulgari non potuissent, eadem ne Messala quidem vivente in publicum potuisse emitti.

Quaenam res insunt Messalae antiquorum laudatoris orationibus, quae offensioni esse possint aut potuerint? Iam Attici et Bruti apud Ciceronem exempla, quae comparavit Apro et Materno Iansenius — in Bruto quae partes in disputando sunt Attici et Bruti viventium? Tacent prope, disputat Cicero. Academica vero Ciceronis recte afferuntur ad probandum contrarium. Nam quod audere Tacitus iuvenis Titi temporibus non potuit, ut ederet virorum amicorum *arcana disputationis,* id Tacitus homo praetorius vel consul designatus mortuis duobus ab uno Messala vivo rogatus non minus decore potuit facere, quam Cicero homo consularis hortanti Varroni non defuit.

Sed quoniam non defuerunt, qui post Agricolam et Germaniam editionem Dialogi differrent, horum quoque in opinionem paucis est inquirendum. Urlichsio[4]) quidem et Mommsenio[5]), qui Dialogum anno fere centesimo octavo Plinio a Tacito corrigendum traditum esse augurati sunt ex Plinii ep. VIII. 7, recte nobis videtur respondisse B. Wutkius[6]) illo anno Tacitum a foro et iudiciis ad res gestas componendas aversum officia civilia non iam curasse. Sed ne Wutkio quidem ipsi, qui circa annum centesimum dialogum vulgatum esse contendit, assentiendum erit. Est enim disputationis Wutkianae fundamentum epistula Plinii I. 20, in qua quia Plinius rogat, ut rescribat Tacitus, utrum orationem magis probet *largam* an *brevem*, haec Plinii percontatio certissimum Wutkio est documentum anno XCVIII. dialogum Taciti amico notum non fuisse. In dialogo enim affirmat Wutkius illam quaestionem Apri et Messalae disputationibus esse diiudicatam.

Quam contra argumentationem haec affirmanda sunt. Quaestio illa, probabilior sit oratio longa an brevis, neque dialogi Tacitini materia diiudicata est neque diiudicabitur, quoad homines erunt. Quam rem et Tacitus vidit et Plinius. Ille enim ob id ipsum tres diversarum causarum patronos, Aprum, Messalam, Maternum induxit in sermone, ut liberam relinqueret huius rei disceptationem legentibus, qua re hic per ironiam rogat, ut brevissime respondeat, si longam, longissime autem, si brevem ipse anteferat orationem (Plin. ep. I. 20. 25). Plinio igitur anno XCVII. vel XCVIII. Taciti liber de oratoribus notus fuit.

---

[1]) Corn. Tacitus I. Berol. 1864, p. VIII.

[2]) Dial. ed. II. 1879 p. 3. Eadem censuit Ed. Wolff in edit. Corn. Taciti Hist Berol. I. 1886, praef. p. 4 squ.

[3]) l. l. p. 28.

[4]) Commentatio de vita et honoribus Taciti p. 5.

[5]) Hermes III. p. 51.

[6]) Dialogum a Tac. Traiani temporibus scriptum esse Spand. 1887 p. 12.

Incidimus iam ducente itinere in ipsam dimicationem veteris controversiae, utrum omnino Tacitus Dialogum confecerit necne. Qua in quaestione si certum ac definitum nobis esse Taciti nomen affirmare velimus, vehementer primum est timendum, ne Lipsii magni illius grammatici manes laedamus, quippe qui Dialogum a Tacito non potuisse conscribi ‚tam certum habuerit, quasi respondisset Apollo'. Cuius umbram si effugerimus, aliorum et mortuorum et vivorum hominum doctorum turbae in nos impetum faciant, quas haud facile sit arcere. Instabunt primum Plinii minoris propugnatores inde a Nastio usque ad Kramarczikium, qui maximam in vocabulorum usu apparere similitudinem inter dialogum et Plinianos libros defendent. Urgebunt deinde Quintiliani vindices ac patroni, in quibus Gronovius et Heumannus, qui fundum Quintilianeum esse iusto sacramento contendere se posse affirmabunt. Ne Senecae quidem defensores desint. Qui cum universi nos manum consertum vocaverint, quod tam temere in alienas possessiones irruerimus, tum singuli nobis litem intendent. Dicet Gutmannus dialogum ‚non ex auro puro compositum sed vilioribus metallis mixtum', ostendet Ecksteinius summam superesse difficultatem in genere dicendi, ne Tacito vindicetur, obstantem atque is doctissimis comitatus viris Eichstaedtio, Bernhardio, Sauppio, Nipperdeio, Andresenio, Vogelio aliis.

Hoc in periculo hac una fere consolatione poterimus sustentari, quod ne nos quidem, quibus Tacitina dialogi origo esse defendenda videtur, pauci sumus. Sed est nobis aliqua victoriae fiducia, non quia numero longe superamus, sed quia qui in nostra stant acie optimam causam optimis argumentis defendunt.

Primum igitur interrogamus, pacemne facere velitis his condicionibus. Concedimus vobis unumquemque vestrorum aliquid veri, universos multa eaque vera vidisse. Damus Quintilianeis sermonis aliquam similitudinem in dialogo intercedere cum Quintiliani libris, quia Tacitum Quintiliano eloquentiae praeceptore usum esse veri simillimum est. Tribuimus Plinianis Plinii amici quendam colorem. Non repugnamus, ne legerit auctor dialogi Senecae quoque scripta. Defendimus autem haec omnia non modo non obstare, quominus dialogus a Tacito confectus sit, sed etiam quasi digito monstrare eum, quem dicimus auctorem.

Mitto enim Fr. Aug. Wolfium, qui iam anno 1802 — cum multo ante Salinerius Tacitum defendisset — Dialogum ‚aureolum' vocavit libellum, Eduardi Woelfflini cura, qua stili Tacitini quae fuerit genesis, qui progressus et exitus explicatum [1]) est, satisfacere potuit vel graviorum virorum dubitationibus. Illa enim una via et ratione, quam iniit Woelfflinus, ut Tacitini sermonis proprietatem quasi nascentem, maturescentem, canescentem sequeretur, vera dialogi natura elici et comprehendi poterat.

Neque enim alia mensura, opinor, Taciti ingenium et scientia metienda sunt, alia nostrorum temporum magna ingenia. Omnium hominum, quantumcunque ingenii viribus praestant, quis pro vero potest affirmare se natura

---

[1]) Philologi tom. XXIV—XXVII.

bonum aut doctum factum esse nullis aliorum adiumentis? Nempe parentibus nostris, magistris, scriptoribus, quos legimus, antiquis et novis plurima debemus. Iuvenes igitur, si quid exaravimus aut composuimus, num toti sumus nostri iuris et in rebus et in genere dicendi? Viri doctiores, qui eadem illa cognoverunt, nonne imitationem quandam, quae erit in singulis rebus et elocutionibus, crebro deprehendent?

Ac ne quis persuadere sibi malit idem magnis in ingeniis fere non accidere solere, is in recentiores convertat animum. Exemplum ut hominum musicorum afferam, inter omnes viros huius artis intelligentes constat illud, Seb. Bachius nisi extitisset, nos non habituros fuisse Beethovenium. Quo dicto quid aliud illustrare volunt illi nisi Beethovenii iuvenis crebram quandam in pererrandis vocum intervallis, quae res ἁρμονία Graece dicitur, Bachii imitationem? Et quid tam diversum quam horum utriusque ingenia, Beethovenii maturiorum operum concentum cum audiverimus?

Quam ob rem mirari desinamus trecentos post annos quam Lipsius rei novitate obstupefactus erat, quod in Taciti dialogo modo Ciceronem, modo Quintilianum vel etiam Plinium verba facientes audire nobis videamur. Cur enim quod nostrorum unicuique concedimus, ut aliorum qui antecesserunt, scriptis et operibus erudiri liceat, idem Tacito uni non permittemus quasi homini caelitus nato? Veteres quoque discere prius consueverant, priusquam quae didicerant mandarent litteris.

Atque hac in re nostrae aetatis imprimis grammaticis hominibus, quia deos quosdam omnes fere antiquos scriptores sibi finxerunt, illud videtur accidisse, ut desperatione verae originis nusquam non fatigarentur, quotiens in antiquorum scriptis homines invenerant. Itaque Th. Vogelius nuper sub finem disputationis summa laude dignae, qua dialogi cum locis Quintilianeis et Plinianis similitudinem accuratissime comparavit [1]), postquam hominem agnovit, non potuit non exclamare: „Non tanti profecto mihi est Tacito dialogum vindicare, si ea re magni illius hominis imago, quam mente concepi, plane confunditur et oblinitur."

Quin potius imagines illas mente conceptas mittimus quam veritatem? Aufidii Bassi bella Germanica, aliorum auctorum opera, quibus in componendis Historiis, Annalibus, Germania usus esse Tacitus existimandus est, si omnia extarent, eum magis etiam perspiceremus similem aliorum humano modulo esse metiendum. Nunc quia fortunae beneficio comparare nobis licet Ciceronis libros rhetoricos, Quintiliani institutionem oratoriam, Taciti dialogum, de auctore desperamus.

Ceterum per Vogelium ipsum stetit, quominus liberaliter iudicaverit de auctore dialogi. Ut enim subinde moneam mihi nequaquam esse in animo de laude illius viri docti quidquam detrahere, inesse mihi videbantur in disputatione illa, quam memoravi, argumenta nonnulla in invidiam magis quam amorem auctoris, qui quaeritur, prona.

---

[1]) De dialogi qui Taciti nomine fertur sermone iudicium. Commentatio ex supplem. annal. philol. seorsum expressa, Lips. 1881.

Atque primum quidem ut a Ciceronis similitudine initium sumamus, affirmat Vogelius[1]) scriptorem dialogi ‚tam anxie, paene serviliter Ciceronis vestigia pressisse, ut vix dignum videretur viro praetorio vel consule'. Quae servitus ut scriptori dialogi imponatur neque eis copiis et elocutionibus, quas Eeksteinius[2]) congessit, neque quas Peter[3]) aut Iansenius[4]) e Ciceronis usu repetierunt, quisquam adducetur. Vidimus supra auctorem dialogi in prioribus sermonis partibus, quotiens materia, quae tractabatur, ita ferebat, Ciceronem secutum esse, in parte tertia ut in nova materia et Ciceronis tempora transgressa ne habuisse quidem, quem sequeretur. Accedit, quod sermonis cum Cicerone similitudo nusquam maior est, quam qua studiosissime Ciceronis libros rhetoricos auctorem dialogi legisse probetur.

Deinde idem scriptor, qui in servitutem Ciceronis addictus est, imitatus esse dicitur a Vogelio Quintilianum. ‚Universum enim colorem sermonis adeo esse Quintilianeum, ut non modo aequalem eius sed amicum discipulumve scriptorem fuisse statuendum sit'[5]). Cui parti argumentationis Vogelianae magis etiam contradicendum est, si quidem ex Goethii et Grillparzeri fabulis cum similem electionem verborum comparaveris, eodem modo probare possis alterum alterius amicum fuisse. Locis enim omnibus a viro illo docto diligentissime collatis plus effici vix potest, quam ut auctor dialogi sub finem primi saeculi Christiani scripsisse, postquam illius institutionem oratoriam diligenter legerit, putandus sit. Quem auctorem Quintiliani fuisse discipulum multo magis veri simile inde est, quod Quintilianum, inde ab anno LXX. publicum eloquentiae magistrum, Plinii Taciti amici praeceptorem fuisse constat ex Plin. ep. II. 14, 10. Tam multa autem, ut ex sermonis quodam colore discipulum aut amicum cuiusquam agnoscamus, vix Germanis nobis nostro in sermone permittere licebit.

Illud vero sine ulla dubitatione concedimus Quintiliani institutionem oratoriam et materiae et sermoni dialogi multum contulisse. Ut enim omittamus eas omnes res, in quibus Quintilianus et ipse Ciceronis repetivit et iudicia et vocabula, quis apertissimam esse imitationem negabit hac in re? Quintilianus postquam Iulii Secundi oratoris immaturam mortem miseratus est, eiusdem facundiam designat his verbis[6]): *Ea est facundia, tanta in explicando quod velit gratia, tam candidum et lene et speciosum dicendi genus, tanta verborum etiam quae adsumpta sunt proprietas, tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia. Habebunt, qui post nos de oratoribus scribent, magnam eos, qui nunc vigent, materiam vere laudandi.* Tacitus hoc modo[7]): *Vos, Materne ac Secunde, ita gravitati sensuum nitorem et cultum verborum miscetis, ea electio inventionis, is ordo rerum, ea, quotiens causa poscit, uber-*

[1]) Vogel iudicium p. 276.
[2]) Prolegomena p. 76 sqq.
[3]) praef. edit. dial. p. 2.
[4]) l. c. p. 61 sqq.
[5]) l. c. p. 254.
[6]) Quintil. instit. or. X. 1, 120.
[7]) Tac. dial. cap. 23.

tas, ea, quotiens permittit, brevitas, is compositionis decor, ea sententiarum planitas est, sic exprimitis adfectus, sic libertatem temperatis, ut etiam si nostra iudicia malignitas et invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint posteri nostri.

Eundem sermonis tenorem similemque sententiam hic et illic servari nemo non fateatur necesse est. Quaero autem, quo quis doctior, ex eo magis, uter eorum, quos exscripsimus, locorum auctor altius descenderit, sit admirabilior in dicendo. Uter maior, discipulus an praeceptor, Tacitus an Quintilianus? Hicne, qui paulo ante [1]) desideravit, *ut esset multo magis pugnax Secundus,* an ille, qui idem ut significaret, Secundo arbitri personam assignavit eumque tacentem fingit per totum fere sermonem? Cuius laudabilem facundiam eamque carentem extemporalis audaciae et facilitatis [2]) neque apertius depingere discipulus mea quidem sententia potuit illis Apri laudibus neque decentius hoc ingenii sui artificio, quo pictorem illum Timanthem aemulatus esse mihi videtur, qui quod in tabula immolandae Iphigeniae patris maerorum exprimere se posse pictura desperavit, Agamemnonis caput obvolvendum putavit [3]). Quem discipulum propter inopiam vocabulorum sermonem aliquem a Quintiliano praeceptore de eadem re habitum liberiore dialogi forma expressisse, id quod Vogelius vult [4]), tantum abest, ut credamus, ut disertiorem quandam eloquentiam Tacito vindicemus.

Sicut enim in agendo, sic in scribendo duo si faciunt idem, non est idem. Attulisse sibi videtur Vogelius haud levia documenta sermonis Quintiliani a discipulo exscripti ea re, quod utrobique Orpheus et Linus vates, Crassus, Caesar, Pollio, Calvus oratores, Nicostratus pugil, alii nominantur, utrobique „dis geniti reges“ et „pestilentiae remedia“ commemorantur. Quid igitur? Nominibus et vocabulis nonne subiectae sunt res? Qui rerum monumenta posteris erat traditurus, ei, credo, non licebat Orpheo et Lino anteferre Musaeum et Eumolpum, Crassi et Caesaris loco alium quemlibet oratorem exiguae maturitatis nominare, alias quam quae tractabantur tum in scholis controversiarum materias enumerare. Itaque Varii Thyestes et Ovidii Medea, Cassius Severus et Nicostratus, qui et hic et illic leguntur, non magis sunt offensioni aut servilis cuiusdam imitationis exempla quam Metrodorum probamus memoriae artificem. Quisquis enim ex arte aut laude singulari nomen repperit, in generis humani conscientiam quia transgressus est, praeteriri historico scriptori nequit.

Ceterum ne in exemplis quidem afferendis Tacitus semper secutus est Quintilianum. Qua in re haud alienum ab utriusque ingenio illud videatur, quod praeclara matrum exempla Quintilianus affert Corneliam, matrem Gracchorum, Laeliam, Hortensiam, tres oratorum procreatrices [5]), Tacitus contra

---

1) Quintil. X. 1. 120.
2) Tac dial. cap. 2. 16. Quint. X. 3, 14.
3) Cic. or. I. 22, 74.
4) l. c. p. 264.
5) Quintil. I. 1, 6.

Corneliam, Aureliam, Caesaris matrem, Atiam Augusti nominavit[1]), quae *principes liberos produxerunt.*

Sed quoniam neque consilium meum est neque huius scriptionis angustiarum pugnare de vocabulis, ad tertiam iam destinatae mihi disputationis partem progredior, in qua quo magis persuasum mihi est hoc antiquitatis illustre monumentum a Tacito esse compositum, eo magis Tacitino sermone metiri audebo.

III.

Taciti dialogus quibus innitatur libris manu scriptis paucis proferre licebit.

Doctorum virorum investigationibus et curis, imprimis Studemundi et L. Urlichsii[2]) paene certum est saeculo VIII. vel IX. in monasterio Fuldensi fuisse codicem quendam vetustum, qui cum Taciti Annalium sex libros priores tum eiusdem Germaniam, Agricolam, Dialogum continebat. Huius codicis Fuldensis constat unum apographon factum esse Corbeiae saeculo XI., Annalium sex libros priores continens, alteram libri partem, quam Taciti minora scripta continuisse memoravimus, saeculo XIII. simillimum est veri relatam esse in monasterium Hersfeldense, ubi facto apographo sive vetustate sive neglegentia periit. Corbeiense illud apographon, postquam anno 1508 Romam relatum est, a Leone X. Pontifice Maximo asservatum postea bibliothecae Mediceae Florentinae insertum est, ubi nunc extat cod. Mediceus I [3]). Alterum apographon Hersfeldensi in monasterio saeculo XV. repertum est ab Henocho Asculano, quem doctum litteris Graecis et Latinis Nicolaus V. Pontif. Max. bibliothecae Vaticanae conditor ‚ad inquirendum et transscribendum libros antiquos' in Germaniam miserat, id quod apparet hac, quam exscripsimus, epistula.

Epistula Nicolai V. P. M. ad Ludovicum Erlichshusensem ordinis Teutonici magistrum data: „Dilecte fili. Salutem et apostolicam benedictionem. Iam diu decrevimus atque ad id omni studio operam damus, ut pro communi virorum doctorum commodo habeamus librorum omnium cum Latinorum tum Graecorum bibliothecam condecentem pontificis et sedis apostolicae dignitati, et iam ex iis qui reperiuntur omnis generis scriptorum maiorem partem habemus. Sed cum multi libri ex antiquis deficiant, qui culpa superiorum temporum sunt deperditi, ad inquirendum et transscribendum si reperiantur eiusmodi libros mittimus dilectum filium Enoch Aesculanum, virum doctum Graecis et Latinis litteris, familiarem nostrum, qui diversa loca et monasteria inquirat, si quis ex ipsis deperditis apud vos libris repeniretur. Idcirco nostri contemplatione velis omnes tui territorii libros sibi ostendere, antiquos praesertim et priscae scripturae, et simul permittere, ut in tuo territorio scribi possit expensis nostris. Nolumus enim ut aliquis liber surripiatur, sed tantummodo ut fiat copia transscribendi, super quibus ipse Enoch tecum loquetur

[1]) Tac. dial. cap. 28.

[2]) Eos. I. p. 243—253 II. p. 224—232.

[3]) sive Laur. LXVIII. cod. I. 4⁰ membr.

latius ex parte nostra. Datum Romae apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die ultima mensis Aprilis pontificatus nostri anno quinto a. C. 1451. Insuper quia ad diversas mundi partes iturus est, hortamur te, ut in omni sua necessitate nostri contemplatione sibi subvenias."

Henochus igitur codicis Hersfeldensis saeculi XIII. apographo facto Romam rediit anno 1457—1458. Hoc ex exemplari Henochiano duo mox videntur apographa facta esse, ab homine diligenti sed indocto alterum, alterum a viro ut minus religioso ita doctiore, quorum utrumque sicut Henochianum exemplum periit. Prioris eorum, quae memoravimus, apographi extant hodie duo exempla, Vaticanus 1862 (A) et Leidensis sive Perizonianus (B), posterioris plura: Farnesianus (C), Vaticanus 1518 (D), Ottobonianus 1455 (E), Vaticanus 4498 (Δ) alia, qui libri ad unum omnes saeculo XV. scripti sunt.

Quae cum ita sint, quamquam ubique locorum, quibus libri ad unum omnes consentiunt, non plus potest pro certo affirmari quam hoc: extare eisdem locis Henochiani apographi sinceram scripturam, tamen his omnibus locis summa cura maximaque prudentia utendum erit. Extant enim sine dubio in his libris saeculo XV. scriptis loci id generis, quibus vel octavi saeculi si non vetustior scriptura mirabiliter a viris doctis divinata sit. Quis enim dubitaverit hodie, quin restitutus sit a Rittero hic locus dial. cap. VII.

Tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere videor, tum abire quod si non in alio oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit.

Pithoeus cum recte emendaverit ‚habere', veri similis autem sit Baehrensii coniectura ‚civium gratia', certa est Ritteri medela ‚in aliquo.' Quae coniectura ut convenit sermoni Tacitino, ita restituta est multo vetustioris exempli scriptura quam Hersfeldensis illius saeculi XIII. Quae res iam inde apparebit. Corruptela haec, quam exhibent saeculi XV. libri, effluere non potuit ex exemplari aliquo saeculorum XI.—XIII., quia codex Med. I. ipse, quem priorem unius codicis Fuldensis olim fuisse partem memoravimus, exceptis duobus singulorum librorum primis versibus cetera minusculis litteris exaratus est [1]). Adde quod scriptura magna A L I Q O hoc mendum, quod hodie extat, A L I O vel ‚alio' facillime admisit, iam concedes Ritteri illa indubia medela aut Fuldensis exempli saeculi VIII. aut vetustioris etiam maiorem scripturam redditam esse. Hac enim in re recentiorum quorundam velut Baehrensii iudicio nullo modo possumus accedere, qui contemnit [2]) alios, quod sordes admirentur, sua admiratur.

Horum igitur, quos sex memoravimus, librorum cui aut maior aut maxima fides habenda sit, usque ad hunc diem exploratum et certum nobis esse nondum videtur. Qui ante Iustum Lipsium dialogum ediderant, septimum librum secuti erant, Vindobonensem I L (V. I.), qui in bibliotheca Vindob. Aug. Caesarea extat. Iustus Lipsius codicem Farnesianum C, Michaelis Vaticanum A, Germaniae amantissimi editores Leidensem B sibi optimos duxerunt. Nobis

1) L. Ulrichs Eos II. p. 224—232.
2) Dial. ed. p. 48.

omnes libri videntur respiciendi esse, vera si elicienda sunt. Unum addimus tribus illis, qui vulgo optimi habentur, librum D 1518. Recte enim Baehrensius in editione dialogi coniecisse nobis videbatur libros Vat. A 1862 et Leidensem B meliores Henochiani exempli esse nepotes, ceteros libros C D E Δ meliore usos esse patre. In his autem haud contemnendae fidei esse videtur cod. D, cuius naturam sicut ea, quae Baehrensius attulit, ita hoc declarat exemplum. Dial. cap. XXXV. 1 [1]).

At nunc adulescentuli nostri deducuntur in s e m istorum, qui rhetores vocantur.

Legitur s e m D, s e i n C E, s e n i A, s e i n cod. Vindob. 2 [2]), s c e n a B s c e n a V. Scripsit Rhenanus codicem V. I. secutus, ‚in scenas', Lipsius ‚in scholas' neque hic sibi constitit. Adnotavit enim haec [3]): ‚Divinabam olim ‚scholas', male. Nam apposite ‚scenas' appellat, loca in quibus fucata illa et personata eloquentia exercetur, velut per lusum'. Hodie qui dialogum edunt omnes sequuntur Lipsii malam coniecturam contra ipsius Lipsii melius postea iudicium et adversus omnes libros, nisi quod unus Michaelis librorum scripturam ‚s e m' servavit [4]), Peter ‚in scenam' edidit. Nec me ea in re Quintilianus fugit aut movet. Quamquam enim ubique in institutione oratoria rhetorum ludi scholae vocantur, tamen ad unum omnes libri consentientes ostendunt hoc loco scriptum fuisse in archetypo s e m i n a r i a. At non occurrit hoc vocabulum apud Tacitum. Quid refert? Plura a Tacito novata leguntur in dialogo. Vix enim credibile illud est librarios omnium codicum — licet fuerint sanctissimae simplicitatis monachi — notissimum vocabulum ‚scholas' corrupisse in ‚s e n i a'. Nec quisquam ut ‚scholas' defendat recte confugiet ad Taciti verba, quae deinde leguntur dial. XXXV. 6 *sed, ut dicere institueram, deducuntur in scholas,* quae prorsus sunt pro me, primum quia hoc loco omnes librarii recte ‚scholas' ‚vel scolam' exaraverunt, deinde quia multis dialogi locis aperta est vocabulorum variatio, quae scriptorem dialogi adeo videtur delectasse, ut cogitandi etiam necessitatem saepius neglegeret [5]).

Hodie si neque in sermone dialogi librorum antiquorum scripturae, qua auctorem reperiamus, ulla fides habebitur neque Tacito libri stilum tribuemus, ut verba recuperemus, unde libidinum finis orbe agitatis et libello salus orietur?

Iam igitur ut probemus libros saeculi XV., qui dialogum continent, nequaquam adeo esse corruptos, ut iure recentiores lacunas statuerent, iam hos elegimus locos. Ac ne legentes abnuant ea, quae sequentur, ex luculento quodam ordiamur exemplo.

Aper postquam cap. VIII. Marcelli Eprii et Crispi Vibii famam praedicavit, pergit his verbis cap. VIII. 5.

---

[1]) Halmii Dial. editionem IV. Lips. 1884. sequimur.

[2]) I. Huemer, Ztsch. f. d. öst. Gymn. 1878 S. 806.

[3]) Usus sum Lipsii Dial. editione Antverp. 1668.

[4]) Dial. edit. Lips. 1868.

[5]) Vitia nonnulla, in quae auctor dialogi nimio aut aequabilitatis aut varietatis studio incurrit 3. 16, 5. 12, 15. 12, 26. 29, 18. vel. 25., Vahlenius in indice Berol., quem memoravimus, tam acri detexit iudicio, ut cogitare qui didicerit, ei assentiendum sit.

Nec hoc illis alterius *ter milies sestertium praestat.*

Addidit Lipsius: ,In morbo locus et defectu. Scribas et distinguas *nec hoc illis? ter millies,* alterius bis millies H S. Quae addidi, satis mihi certa sunt, numero tantum excepto, nam certe utriusque opes exprimere propositum habuit. Rodolphus scribebat ,nec hoc illis utriusque ter millies H S,' quod amplectar, si e libris.' Haec igitur Lipsius. Peius Pichena, qui schol. Iuvenal. IV. 81 secutus ,alterius bis' supplevit. Melius veteres qui Rodolphum Agricolam secuti sunt. In editione Oxoniensi Declamationum Quintil. anno MDCLXXV, in quarum fine additus hic dialogus, occurrunt ,nec hoc illis alterive', quae probaverunt Barthius, Huetius, Brotierius, Schultingius.

Tacito, qui dialogum tribuet, sine ulla dubitatione, opinor, concedet hos, qui aurificis statera utriusque delatorum aurum pensandum non esse censuerint, proxime afuisse a vero. Taciti sententiam hi invenerunt, de forma aberraverunt. Nihilo minus omnium in editionibus, quas nostra aetate reperies floret vigetque Lipsii, quod ipse hic addubitavit, supplementum vel Pichenae. Gavisus sum prope, cum Ritterum affirmare legerem [1]) Tacitinum istud non esse nimis exigue et exiliter ad calculos vocare illorum utriusque opes. Quamquam ne Ritter quidem de lacuna dubitans coniecit *,nec hoc illis* ampla Marcelli praedia nec *alterius ter milies sestertium praestat.'* Atque illi quidem hactenus.

Miror veteres, Barthium, Brotierium, quod tam prope aberant a vero neque rationi scribendi satisfacere potuerunt. Quid enim facilius quam ambos istos delatores ita comprehendere, ut legamus *nec hoc illis alterius* utrius *ter milies sestertium praestat,* qua ratione aliquanto maiorem fidem communi omnium librorum scripturae iam tribuerimus. Hoc *,alterius* utrius' quibus hominibus doctis et palaeographicae artis imprimis gnaris longum videtur, eis circumcidere et amputare licebit ita, ut iam *alter*utr*ius* legant, quoniam Plinius quoque habet ep. VII. 20 ,nisi quis forte *alterutri* nostrum amicissimus'. Nunc fortasse aliquam fidem libris ad unum omnibus habebunt.

Mihi autem libet *alter*utr*ius,* quod protuli, iterum contrahere in brevius, ut iam fiat alterius, quod est in libris. Invenio enim apud Livium XXIX. 23, 8 haec: *Se* (scilicet regem Syphacem) *et nuptiis civis Carthaginiensis, filiae Hasdrubalis, quem viderit apud se in hospitio, et publico etiam foedere cum populo Carthaginiensi iunctum optare primum, ut procul ab Africa, sicut adhuc fecerint, bellum Romani cum Carthaginiensibus gerant, ne sibi interesse certaminibus eorum armaque aut haec aut illa, abnuentem* alteram *societatem, sequi necessi sit.* Quo loco cum ,alteram' sine dubio idem sit, quod ,alteram utram', iam video quam notitiam nominis inter homines doctos ex hac coniectura mihi speraveram, eam a Tacito ipso esse ereptam [2]). Lipsio quidem satisfecisse me arbitror, quia re vera Tacitus

---

[1]) Mus. rhen. XXI. p. 534 sqq.

[2]) Conf. Liv. XXI. 8, 7: *tumultuariae pugnae, quales in oppugnationibus urbium per occasionem partis* alterius *conseri solent.*

utriusque opes expressit et alterius est e libris, recentioribus autem num hoc vocabulum placiturum sit dies docebit.

Iam opus arduum aggredior et paene atrox, dial. cap. I. 7.

Cui percontationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus excipere, ut aut de ingeniis nostris male existimandum, si idem adsequi non possumus, aut de iudiciis, si nolumus, vix hercule auderem, si mihi mea sententia proferenda ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi. Ita non ingenio, sed memoria et recordatione opus est, ut quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cum singuli diversas vel easdem sed probabiles causas adferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderent, isdem nunc numeris isdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis.

Lipsio dum concedimus priore in sententia inserendum esse *sit* ante *si,* iam quaeramus, num gravi in morbo iacere recte dicantur verba illa posterioris sententiae cum singuli diversas vel easdem sed probabiles causas adferrent. Certe nemo medicus dedignabitur audire huius aegritudinis historiam.

Illusit Tacitum primus Lipsius, cum adderet: *Id vero non probabile, ut in uno sermone easdem causas repetiverint. Ego verba ea superesse censeo vel easdem.* Acidalius haec statuit: *Iam olim damnarant has voces vel easdem Lipsius et Muretus, superesse eas arbitrati. Plane arbitrer ita quoque ipse, nisi forte ex iis mutandum diversas, sed easdem valde probabiles, vel diversas, sed eas valde probabiles.* Salinerius clementius: *Messala causas inquirit, qui fiat ut sui temporis oratores in tantum a prioribus degenerent sociosque ad eam rem optat Maternum et Secundum, qui onus subire non dedignantur. Potuit itaque unusquisque horum afferre (saltem subscribendo) quasdam ex rationibus Messalae, quibus temporis iniuria deficimus: nec rei disconducit, si uterque eam partim iisdem, partim diversis firmare studuit.* Brotierius adnotavit: *Vel easdem redundare Mureto Lipsioque videntur. Forte tamen non ita peccant, maxime cum Messala et Maternus in multis easdem corruptae eloquentiae causas afferant.*

Infelicius locum sanum tractaverunt recentiores, quorum argumentationes quo magis intellegere studebis, eo magis mente et animo perturbaberis. Audiamus Meiserum haec fere rixantem [1]: *Ineptum est huic loco ullum sensum ullo modo elicere, id quod toto libro demonstratur.* Neque melius Baehrensius [2]: *Haec verba a Tacito sic quidem scripta esse recte negarunt plerique omnes. Nam ut alia iure molesta mittam, scriptoris est bene sani, causas adferendas ita inter singulos sermonis participes distribuere, ut omissis repetitionibus alium alias faciat edisserentem e. t. c.* Quam explicationem et coniecturam eiusdem prolatam qui minus intellexerit, cum Baehrensius ad Kuehneri ampliorem grammaticam vult revocari. Ceteri, qui dialogum ediderunt, deleverunt, suppleverunt, coniecerunt, explicaverunt pro virili quis-

---

[1]) K. Meiser, krit. Studien zum Dial. u. zur Germania, Eichstaedt 1871, S. 11.

[2]) Ed. dial. p. 48.

que parte. Halmius [1]) autem quid faceret adversus tantum impetum supplicantium et confitentium se haec Taciti verba nulla ratione comprehendere aut intellegere, qualia essent? Uncis igitur inclusit (vel easdem sed probabiles).

Nobis quotiens perlegimus et Taciti hanc sententiam et interpretum huius loci explicationes, imperatoris Tiberii in mentem veniebat illud: *Quid scribam, patres conscripti, aut quid omnino non scribam, dii me deaeque peius perdant quam cotidie me perire sentio, si scio.*

Primum igitur Lipsio non fuit, quod illuderet in Tacitum repetendo eius verba ‚id vero non *probabile'*, quia re vera considerandum fuit id, quod dicit Tacitus hoc loco: *non ingenio sed memoria et recordatione opus* est. In devia enim seducti sunt interpretes ea re, quod Iusti Lipsii meminerunt, Iusti Fabii obliti sunt, quocum *eandem hanc quaestionem* auctor dialogi saepe tractaverat. Cui amico cum auctor epistulam quandam hoc dialogi prooemio scriberet, diversas vel easdem sed probabiles causas Iustus Fabius optime percepit.

Deinde Lipsius quique eum sunt secuti, in ea re decepti sunt, quod omnes causas ‚corruptae eloquentiae' sibi expiscati sunt, quas certe nemo poscet, qui ineunte sermone Tacitinam iudicii integritatem liberam legentibus volet servare[2]). Teneamus igitur primum Tacitum cum Iusto Fabio *eandem quaestionem* pertractare. Amico, quotiens requisierat, decebat nempe Tacitum aliquid respondere. Ne Fabium quidem verisimile est semper tacuisse. Quamcunque autem rem in disputando uterque cavebat [3]), haec eius erat causa. Taciti causa aut eadem fuit, quae Fabii, aut diversa. Apud Ciceronem quidem de or. I. 2, 4, quod prooemium imitatum esse supra Tacitum memoravimus, Marci et Quinti fratrum causae sunt diversae: *solesque nonnunquam hac de re a me in disputationibus nostris dissentire, quod ego... tu autem...* Taciti et Fabii causa utrum eadem fuerit an diversa, suo loco videbimus. Iam ‚causam adferre' coniungimus. Videamus, quae vis sit Tacitina verbi ‚adferendi'.

Hist. I. 26

Laco consilii, quod non ipse adferret, inimicus

Hist. III. 9

Messala, qui solus ad id bellum artes bonas attulisset

Hist. III. 38

Se (scil. L. Vitellium) *pro liberis fratris preces lacrimasque attulisse*

Hist. III. 41

nec integram fidem attulerant (scil. cohortes).

Quibus ex locis apparet *causam adferre* esse nostrum *einen Standpunkt vertreten.* Vertamus igitur hunc vexatum dialogi locum Germanice:

---

[1]) Ed. quarta, Lips. 1884.

[2]) Qui defenderent hunc locum, solos et unos repperimus Haasium et Classenium Eos I. p. 13, quamquam ne horum quidem allatis causis et rationibus assentiendum est.

[3]) Conf. sub voce ‚causa' Tegge, Studien zur lat. Synonymik Berl. 1886 S. 289.

Auf diese Deine Frage (nach den Gründen des Verschwindens der grossen Redner in unseren Tagen, von uns beiden oft besprochen) Dir (schriftlich) zu antworten und eine so bedeutende Aufgabe der Lösung zuzuführen — aus der sich entweder eine geringe Meinung von unserer natürlichen Begabung ergäbe, falls wir es nicht gleichweit bringen können, oder von unserer Urtheilsfähigkeit, wenn wir es nicht wollen — das würde ich wahrhaftig nicht wagen, wenn ich meine eigene Stimme darüber abzugeben und nicht vielmehr eine Unterhaltung der für unsere Zeit redekundigsten Männer wiederzugeben hätte, denen ich als noch ganz junger Mann zuhörte, als sie eben diese unsere Frage verhandelten. So brauche ich keine Erfindungskraft, sondern nur Gedächtnis und Erinnerung, um die geistreichen Gedanken und die würdige Form jener massgebenden Persönlichkeiten, die ich gehört — *sie vertraten theils den entgegengesetzten (von uns, Fabius!) theils den nämlichen aber einleuchtenden Standpunkt* und einer wie der andere brachte ein Bild seines inneren geistigen Lebens zur Anschauung — jetzt in der gleichen Gliederung und Begründung im Gange jenes Gespräches wiederzugeben.

Et recte quidem hic ordo d i v e r s a s v e l e a s d e m s e d p r o b a b i l e s. Quippe Aper in primo cum Materno et secundo cum Messala certamine d i v e r s a m a Tacito et Fabio, qui a Materno et Messala stabant, causam tuetur, Maternus autem et Messala in primo, secundo, tertio certamine post Aprum verba facientes e a n d e m, quam duo illi amici saepe iam defenderant, causam afferunt.

Potuit itaque Tacitus, ut satisfaceret recentioribus, nominatim in prooemio loqui sic quidem: ‚cum Aper, recentiorum patronus, diversam abs te, Iuste Fabi, Messala et Maternus, antiquorum defensores, eandem sed probabilem causam afferrent.' Quam sententiam, quia neque nomina in prooemio iam afferre neque iudicium legentis occupare voluit — id quod vel maxime Tacitinus mos et consuetudo — in universum vertit. Itaque s i n g u l i d i v e r s a s v e l e a s d e m s e d p r o b a b i l e s c a u s a s afferunt, quia — numerum pluralem ut capiamus — optime latine hostes non *tergum* sed *terga* vertunt.

Corruptae autem eloquentiae causae hoc loco scriptori nulla ratione poterant obversari, quia in animo ei erat dialogi sermonem ita instituere, ut inquireret prius, utrum ars oratoria magis expetenda esset an poetica, deinde recentiores causidici an antiqui oratores essent laudabiliores, priusquam causae corruptae eloquentiae afferrentur. Prooemii igitur loco tres non solum disputantium partes, Apri et Messalae et Materni, sed etiam tres sermonis numeri[1]), cap. V.—XIII., XVI.—XXVI., XXVIII.—XLI. comprehendendi erant, quas res quod hodie qui Dialogum edunt nolunt comprehendere, non Taciti sed interpretum culpa est. Artis criticae est sequi scriptorem, non praecipere, reprehendere, ingenio coniecturis indulgere.

Fabii percontationi ut altius quoddam firmiusque fundamentum subiceretur, ab imo Tacitus aedificium extruxit. Neque enim defuerunt, qui diversam quoque partem susciperent et aetatem suam defenderent, quorum sententiis Apri personam accommodavit. Itaque Fabio in dialogo adversarius

---

[1]) Numeri a Bernhardio et Andresenio ad pugnae palaestricae gradus secundum Quintil. sermonem referuntur. Nescio an melius sequamur Tacitini sermonis consuetudinem atque totius corporis sermonis tres sectiones intellegamus, ne redundent ea quae sequuntur *servato ordine disputationis*. Conf. Tac. Agr. cap. 18. Hist. I. cap. 6. 87. Annal. II. 80.

oritur Aper, in Ciceronis disputationibus, quae sunt de oratore, Quinto fratri Crassus. Fabium autem si existimaveris eadem cogitasse de saeculi illius eloquentia, quae sine dubio Tacitus, Maternus, Messala concordantes pro laude antiquorum iudicabant, iam urbanitatem quandam inesse voci probabiles perspicies.

Reliquum est, ut illud inquiramus, Iusti Fabii illa percontatio qua tandem ratione cohaereat cum toto dialogi corpore. Nonne ex prima prooemii sententia cap. I. 1.

Saepe ex me requiris, Iuste Fabi, cur, cum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat.

nonne apertissime his ex verbis elucet in confesso iam esse inter amicos fractum saeculi eloquentiam? Quod quia persuasum videtur interpretibus, causas corruptae eloquentiae statim afferri exigunt.

Quibus haec respondemus. Duae quaestiones Tacito altius scrutanti inesse videbantur in illa quae tituli loco posita est Fabii percontatione, ut divisisse iam videatur sic quidem: num *priora saecula oratorum ingeniis gloriaque magis* floruissent, deinde cur sua *aetas vix nomen oratoris* retineret. Qua divisione secundam et tertiam dialogi partem iam invenerat. Oratores autem quia videbat ubique gentium iis facillime temporibus et nasci et florere, quibus maxime desiderarentur, ad primordia iam deducebatur sanctae illius eloquentiae, unde oratores et poetae trahebant originem. Quae cogitandi ratio sicut praeclarum historici ingenium prodit, ita nostram *causam* videtur tueri. Atque haec hactenus.

Simillima est alius condicio loci, quo quod positum est, de quo disputetur, quia brevius ponitur quam quae sequitur explanatio, lacunae in suspicionem Schultingio venit. Dial. cap. V. 16.

omittit studium, quo non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam inlustrius excogitari potest.

Schultingius lacunam indagavit his argumentis[1]: ‚Inter haec subductum aliquid auctori temporum iniuria revincitur ex fine huius et initio Cap. sequentis. Quae me eo deduxerunt, ut animum adicerem ad huic succurrendum loco. Et fortasse me illud repperisse?, quod pro lumine et tibicine esse huic Apri orationi esse possit, ut nulla parte labare aut defici videatur. Suppleo itaque hanc lacunam iis, quae ipse auctor paullo post suggerit, et lego *vel ad voluptatem* honestius. Sententia certe et numerus orationis in his pro nobis facit. Accedit huic firmandae coniecturae, quod subiungitur initio Cap. sequentis *ad voluptatem transeo.* Statim ibidem *quid enim dulcius . . . ad voluptates honestas nato.*' Haec igitur Schultingius, quem Brotierius optimo iure non secutus est. Neque enim sententia pro Schultingio fuit, forma orationis, quia *ad voluptatem* se transire Tacitus dicit, perturbatus est. Re enim vera scriptor postquam cap. V. de utilitate eloquentiae exposuit, ad *dignitatem*

---

[1]) apud G. Brotierium Parisiis 1771.

tacite transit, quae quia utrimque et ex agentium et ex imperitorum iudicio examinari potuit — illud dulce, hoc honorificum — forma mutata iam evasit *honesta voluptas*. Sententia servata, forma neglecta est.

Atque ne quis illud Ovidii

In nova fert animus mutatas dicere formas

inepte nos in Tacitum transtulisse contendat, quia statuimus *dignitatem* iam forma mutata fieri *voluptatem honestam*, exempla repraesentabimus.

Securitas Tacito est *securitatis sensus* sive *fiducia*. Hist. I. 51: *sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris, odio, metu et, ut vires suas respexerant, securitate.* Hist II. 12: *Pleni agri, apertae domus, occursantes domini iuxta coniuges et liberos securitate pacis et belli malo circumveniebantur.*

Modestia Tacito est idem, quod *infirmitatis persuasio* Annal. I. 11: *Et ille varie disserebat, de magnitudine imperii, sua modestia.*

Dignitatem igitur, quae secundo positionis loco est, iam ita explicat Tacitus, ut cap. VI. oratorum domus splendidas, togatorum comitatus et egressus, in iudiciis venerationem enumeret, qua dignitate quia fruntur ipsi qui agunt mutato vocabulo potuit vocari *voluptas honesta*. Sequuntur cap. VII. quaesturae, tribunatus, praeturae, qui magistratus sicut honores vocari poterant, ita eis, qui sunt eos adepti, et *voluptatem* afferunt et *dignitatem*. Ne igitur dividatis ea, quae Tacitus conciliavit.

Tripartitam habemus dispositionem: *utilitatem, dignitatem, gloriam (famam et notitiam)*, quae antiquitus usitata probatur et Apri clausula, quae legitur cap. VIII: *His igitur et honoribus et ornamentis et facultatibus* et comprehensione illa aequabili, quae antecedit *parere simul et tueri amicitias, adsciscere necessitudines, complecti provincias.* Accedit, quod optime in dispositione generaliter proposita *utilitas* coniungitur cum *dignitate*. Stoicorum enim vetus est institutum: *quidquid honestum est, idem utile nec utile quidquam, quod non honestum* Cic. de off. III. 4, 20. *utilia honestis* miscere Tac. Agr. 8. *incolumitas ac decus* Agr. 33. Quae si recte disputavimus, iam sub finem capitis sequentis duae lacunae, quae nunquam fuisse videntur, expletae sunt.

Dial. cap. VI. 25.

Sed extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua iucunditas est; nam ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen quae sua sponte nascuntur.

Tacitina est haec variatio ita, ut ne Acidalio quidem credam: ,insere, *nam* in *ingenio*'. Quippe *ingenio* apud Tacitum est casus dativus, qui desideratur huic sententiae. Neque enim audientium, immo dicentium et agentium secreta gaudia exprimuntur sic quidem, ut sit sensus: Dicentibus si quid extemporalis successus ita evenit, ut *deum tunc adfuisse*[1]) putent, etiam maiore afficiuntur laetitia, sicut colonos magis iuvat spectare agrorum laetas segetes minus diu elaboratorum. Neque enim Italiae coloni cum ubertate soli labore contendebant[2]).

---

[1]) Quintil. X. 7, 14.

[2]) Tac. Germ. c. 26.

Miramur virum doctum Ribbeckium, qui maluit[1]) Germaniae silvas antiquissimas, nondum manu hominum caesas, in comparationem vocare quam fertiles Italiae agros. Non tangendus fuit hic locus dialogi, id quod ostendit Quintil. X. 3, 7. *Omnia enim nostra, dum nascuntur, placent.*

Dial. cap. X. 20.

Sed tecum mihi, Materne, res est, quod cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat, errare mavis et summa adeptus in levioribus subsistis.

Ingeniose sed infeliciter hunc locum tractasse videtur Acidalius, cum adnotaret: *Credam melius* e l o q u e n t i a te f e r a t, *errare mavis summa adepturus. Adeptus,* quod est in libris, restituit ille quidem, ,te' num recte se habeat, magnopere est dubitandum.

Veremur enim, ne Tullius importatus, Tacitus eiectus sit. Tac. Annal. II. 23: *eodem, quo ventus* f e r e b a t. Curt. V. 4, 11: *via in Persidem* f e r e n s. Liv. V. 28: *quàe* f e r e b a t *via.* Val. Flac. IV. 438: *quae* f e r a t *via.* Plin. ep. II. 17, 2: f e r t *via eodem.* Verg. Aen. VI. 295: *via quae* f e r t *Acherontis ad undas.* Curt. VII. 11, 10: *aditus ad cacumen* f e r e n t e s.

Apparet iam f e r r e hoc dialogi loco esse ,cursum tenere' et optime oppositum illud e r r a r e m a v i s. Quam ob rem Peteri notae [2]), qua errandi verbum, quod sit languidum, vituperatur, assentiendum non est.

Dial. cap. XIII. 11.

Nam Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? quod timent an quod timentur? quod, cum cotidie aliquid rogentur, ii, quibus praestant, indignantur?

Lipsius adnotavit: ,Inepte et falso. Negationem addo *hi quibus* non *praestant*, etsi abesse alterum membrum sentio periodo plenae.' Gronovius: ,Fallitur Lipsius. Significat enim, quod Florus de Caesare lib. IV. c. 2. *gravisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia.* Cic. pro Sulla 26. 72: *Quam multorum hic vitam est a L. Sulla deprecatus! quam multi sunt summi homines et ornatissimi et nostri et equestris ordinis, quorum pro salute se hic Sullae obligavit! quos ego nominarem — neque enim ipsi nolunt et huic animo gratissimo adsunt — sed* q u i a m a i u s e s t b e n e f i c i u m, q u a m p o s s e d e b e t c i v i s c i v i d a r e, *ideo a vobis peto ut, quod potuit, tempori tribuatis, quod fecit, ipsi.*' Haec igitur Lipsius et Gronovius.

Lacunam Halmius indicavit, ,vel' addendum esse ante *ii* Andresenius censuit, Michaelis supplevit sic: ,*quibus praestant* perinde et quibus non praestant'. Quarum medelarum neutra necessaria est in loco integro. Respondet enim Maternus his verbis illi poetarum et versuum vituperationi, quam Aper protulit cap. IX. 15 *quorum tamen hic exitus est, ut, cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte unum librum excudit et elucubravit,* r o g a r e *ultro et ambire cogatur, ut sint qui* d i g n e n t u r *audire.*

Facile perspicies, si comparabis inter se Apri insectationem et Materni defensionem hoc duplex esse oppositum: Poeta non rogatur, immo alios

---

[1]) Mus. rh. XXVIII. p. 503.

[2]) in edit dial. p. 7.

rogat, ut dignentur ipsum audire. Crispus et Marcellus rogantur cotidie aliquid, indignantur *ii*[1]*), quibus praestant.*

Dial cap. XXXI. 7.

Nam in iudiciis fere de aequitate, in deliberationibus de honestate disserimus ita ut plerumque haec invicem misceantur.

Recte censuit Acidalius haec notando: ‚Omittit (scil. scriptor), male opinor, tertium causarum genus'. Quod Acidalii iudicium quamvis ratum habeamus, tamen nostrum si est Tacitum scriptorem qualis fuerit, non speciem quandam quaerere et perfecti iam hominis formam, illa quae sequuntur Acidalii veremur ut subscribamus: ‚nec sane *in deliberationibus* potissimum *de honestate* agitur' aut Ursini ‚locus videtur mutilus ita forte supplendus *in deliberationibus* de utilitate, in laudationibus *de honestate*'. Quod supplementum etsi vituperari non potest, tamen et Acidalius et Ursinus erraverunt, ille quia Ciceroni contradixit, hic quia supplevit. Audiamus ipsum Ciceronem de or. II. 82, 334: Ergo in suadendo *nihil est optabilius* quam dignitas; *nam qui utilitatem putat, non quid maxime velit suasor, sed quid* interdum *magis sequatur, videt.* Quae sequuntur apud Ciceronem si perlegeris, iam dignitatis loco leges honestatem. Et assentitur Ciceroni Quintilianus III. 4, 16: *ne iis quidem accesserim, qui laudativam materiam honestorum, deliberativam utilium, iudicialem iustorum quaestione contineri putant, celeri magis ac rotunda usi distributione quam vera. Stant enim quodam modo mutuis auxiliis omnia.* Quintil III. 8. 1: *Deliberativas quoque miror a quibusdam sola utilitate finitas. ac si quid in his unum sequi oporteret, potior fuisset apud me Ciceronis sententia, qui hoc materiae genus* dignitate *maxime contineri putat, nec dubito quin ii, qui sunt in illa priore sententia, secundum opinionem pulcherrimam ne utile quidem, nisi quod honestum esset, existimarint . . .*

Elucet igitur iam illud in deliberationibus agi potissimum de honestate, *quia* nihil *utile nisi quod honestum.* Stoicos igitur, Ciceronem, Quintilianum secutus est Tacitus, cum scriberet in deliberationibus de honestate.

Iam ad Ursini laudationes quas inseruit venimus. Legimus in illis Ciceronis de oratore libris II. 10. 43: *Certum autem* (quaestionum genus mihi videbatur), *in quo quid in personis et in constituta re et definita quaereretur; cuius modi sunt, quae in foro atque in civium causis disceptationibusque versantur. Ea mihi videntur aut in lite oranda aut in consilio dando esse posita.* Nam illud tertium, *etsi opus est,* minus est tamen necessarium. Ne Quintilianus quidem aliter iudicat X. 1, 47: *nam ut de laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam, nonne vel nonus liber* (Iliadis), *quo missa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio, vel dictae in secundo sententiae omnes* litium *ac* consiliorum *explicant artes?*

Hac ex comparatione cui non persuasum est omisisse scriptorem dialogi tertium illud laudationum genus, eum verborum exempla trahent. Cice-

[1]) Notandum est in codice Vindob. 1 satis expresse exaratum esse, id quod vidi, *ii.*

ronis verba mutuatus est hoc loco Messala, id quod apparet hac Taciti et Ciceronis similitudine. Dial. cap. XXXI. I.

Hoc sibi illi veteres persuaserant, ad hoc efficiendum intellegebant opus esse, non ut in rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis controversiis l i n g u a m modo et vocem e x e r c e r e n t, sed ut iis artibus p e c t u s i m p l e r e n t . . . . .

Cic. de or. III. 29. 121.

Non enim solum acuenda nobis neque p r o c u d e n d a l i n g u a est, sed onerandum c o m p l e n d u m q u e p e c t u s maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate. Nostra est enim (si modo nos oratores, si in civium disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus publicis adhibendi auctores sumus), nostra est . . . .

Neminem fugere potest hunc Ciceronianum locum ante oculos habuisse Taciti Messalam, nemo non videt duo tantum genera orationum, iudiciale et deliberativum, apud Ciceronem occurrere. Quid igitur magis veri simile quam illud, a Tacito quoque praetermissum esse tertium genus laudationum? Inserere autem si de industria voles, Ursini et Mureti supplementum reiciendum erit, quippe, id quod convicimus, in d e l i b e r a t i o n i b u s d e h o n e s t a t e, in laudationibus de virtute agitur.

Sed vidimus iam quam sit difficile conicere in dialogo. Omittamus potius additamenta non *necessaria,* sicut supra docuit Cicero. Qua de causa eodem, quem tractavimus, loco cap. 31. 9 neque Acidalii coniecturae ‚*ita* tamen' neque Schopeni supplemento ‚habet' post *intellectum* fidem habuerim, quo utroque additamento Tacitus expellitur. Zeugmatis enim figuram — ut Schopenio respondeamus — sescenties invenis obviam apud Tacitum. Et recte quidem scriptor subiunxit breviter c o g n o v i t *naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum e t i n t e l l e c t u m e o r u m,* quia dicebant ‚capere intellectum', id quod legitur Quintil. I. 1, 15. Sin coniunxeris *cognovit naturam et* (cepit) *intellectum,* zeugma Tacitinum iam probabis.

Expulit scriptorem eodem in cap. XXXI. Meiser. Vere Tacitina est haec librorum sententia et scriptura Dial. XXXI. 35.

Incidunt enim causae, plurimae quidem ac paene omnes, quibus iuris notitia desideratur, pleraeque autem, in quibus haec quoque scientia requiritur.

Hoc loco qui Ciceronem volet defendere, is desiderabit ‚in *quibus desideratur*', qui Tacitum tueri, libros sequetur. Sententiae enim varietas Tacitina sublata est dativum casum tollentibus, in quibus reprehendendis non abutemur otio.

Nunc quoniam aliquot locos reddidisse Tacito nobis videmur, aliis quibusdam, ut vires nostrae tulerint, iam subveniemus.

Dial. cap. V. 10.

Securus sit, inquit Aper, et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fovet, cum causas agere non possit. et ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveniri, non patiar Maternum societate plurimum defendi, sed ipsum solum apud eos arguam, quod natus ad eloquentiam virilem et oratoriam . . . . omittit studium . . . .

Locus plenus periculi et sinistrae interpretationis. Pithoeus cum emendasset ‚arbitrum inveni' et ‚societate plurium', adeo Lipsio id probatum fuit, ut adnotaret: ‚quod rectum omnino iis, quibus mens non curva.' Et recte quidem iudicavit Lipsius quoque. Nihilo minus quia ‚inveni', opinor, breviore est scriptura quam *inveniri* vel *invenire,* quod est in libris, recentiores duo ingressi sunt itinera. Alteri longius progressi sunt et aberraverunt, alteri a librorum vestigiis minus recesserunt. Illi *arbitrum litis huius inveniri* aut negaverunt aut non putarunt. Sicut modestum quodam modo est non putare, ita arrogantis negare. Ribbeckius autem [1]) satis acriter censuit recte inveniri hoc loco aliquem arbitrum. Secundo enim, postquam Aper esse sibi in animo quemquam poetarum praeter Maternum facere reum negavit, non iam licuit arbitrium suum excusare. Cui aperto viri illius iudicio addimus haec.

Concedendum quidem est Andresenio[2]) et Baehrensio[3]) *iudicis* munus Secundum deprecatum esse supra cum diceret *antequam me iudicem Aper recuset.* Iudices enim, in quibus manifestum est alteram apud eos partem gratia praevalere, legibus vetantur. Optimo igitur iure Secundus iudicium suum excusavit.

Sed vereor, ne quid in hac lite neglectum sit. Tria enim leguntur vocabula iudicantium: i u d e x, d i s c e p t a t o r, a r b i t e r. I u d e x quasi in foro atque comitio secundum leges iudicat, d i s c e p t a t o r ab utroque litigatore sumitur sicut Tarquinius Superbus inter patrem et filium apud Livium I. cap. 50, a r b i t e r intra parietes magis quam in foro, ex animi magis sententia et bona fide iudicat quam legibus. Cic. de off. III. 17, 70: *Q. quidem Scaevola, pontifex maximus, summam vim esse dicebat in omnibus iis* a r b i t r i i s, *in quibus adderetur ex fide bona, fideique bonae nomen existimabat manare latissime.* Cic. Rosc. com. 4. 10: *Ad* i u d i c i u m *hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus aut amittamus. ad* a r b i t r i u m *hoc animo adimus, ut neque nihil neque tantum, quantum postulavimus, consequamur.* Neque recentioribus ignotum est, quid interesse existimandum sit inter i u d i c e m et a r b i t r u m [4]).

Quae cum ita sint, huius modi sententia loco inesse videtur, ut arbitremur haec. I u d i c i s munus quia abnuit Secundus, Aper confugit ad Secundum a r b i t r u m, qui optima fide iudicabit.

Sententia igitur quoniam inventa est, iam forma quaeratur. Pithoei illa medela violentior neque Ribbeckii coniectura ‚*et*enim *ego, quatenus arbitrum litis huius* iuvat *inveniri*' veri similior.

Neque enim effugiat te quattuor in libris scriptum esse *inveniri,* in uno *invenire.* Qua re veri simillimum est fuisse in archetypo haec: *ego enim, quatenus arbitrum litis huius* lic*et inveniri*, qua in medela illud *et* primo sententiae loco, quo offendimur, adhibuimus secundae syllabae verbi, quod proponimus, impersonalis.

---

[1]) Mus. rh. XXVIII. p. 502 sq.

[2]) Emendationes Taciti qui fertur dialogi de oratoribus in actis philol. Lips. 1871 I. 1, p. 134 sq.

[3]) in edit. commentario crit. p. 53.

[4]) Conf. Doederl. Synt. lat. II. 162. V. 299 Tegge, Studien z. lat. Synt. Berl. 1886 p. 87.

Alio quoque dialogi loco aliquid nobis vidisse videbamur. Cap. X. 45.

Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem: nobis satis sit privatas et nostri saeculi controversias tueri, in quibus expressis si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.

Lipsius adnotaverat: ,in quibus expressit si quando necessitas', cui respondit Brotierius: ,Probabilius Cl. de la Monnoye *expressis* mutabat in ,expressius'. Vulgata scriptura retineri potest'. Melius Acidalius: ,vocem *expressis* non capio satis, nec quid ea faciam, scio.' A recentioribus haec vox relicta est, languidum Wagneri, quod proposuit, ,exponendis'.

Mirum prope, quod nemo adhuc coniecit experiendis, id quod necessitate quadam exigitur. Maternus enim in eis, quae sequuntur, respondens his Apri verbis dicit cap. XIII. 24: *nec lubricum forum experiar*. Frequens hoc verbum in dialogo: cap. IX. *experiri suam liberalitatem* cap. XXXIV. *adsuefactus alienis experimentis* cap. XXXIX. *curam et anxietatem stili contrariam experimur* Hist. IV. 42: *nullis defensionibus expertum*. Haec igitur coniectura mihi quidem certa est.

Venimus ad locum, quem ,iam insanabilem' notavit Halmius, quem sanari posse vel maxime confido. Dial. cap. XXI. 1.

Equidem fatebor vobis simpliciter me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. nec unum de populo Canuti aut Atti de Furnio et Coranio quique alios in eodem valetudinario haec ossa et hanc maciem probant.

Ne longus sim, largam opinionum segetem et vastam coniecturarum farraginem, quae prodierunt, non perlustrabo, Acidalii illam notam repetisse contentus: ,Ait (Tacitus) se non aliquem vilem et vulgarem ex vetustate oratorem in exemplum allaturum, uti hunc vel illum, in quibus multa carpere possit, sed ipsum Calvum inter principes antiquorum'. Quae opinio ut est optima, ita Acidalii duae, quas protulit coniecturae ,haec ossa et hanc maciem produnt' vel ,quosdam altos in eodem valetudinario haec ossa et haec macies probant' minime satisfaciunt. Pithoeus: ,hic locus asterisco notari debuit.' Brotierius: ,locus misere corruptus'.

At hic locus minime desperandus est. Primo iam obtutu illud quidem perspicuum est notari hoc loco eiusmodi oratores antiquiores, qui, Ciceronis[1]) verba ut afferamus, *non tam habitus corporis opimos quam gracilitates consectentur quosque quaedam dicendi generis subtilitas et tenuitas delectet.* Uno vocabulo ut complectamur, notantur oratores, qui *strigosiores toto habitu* Attico, quod dicebant, genere dicendi gaudentes et esse et haberi volebant Attici. Hoc certe oratorum genus significatur dialogi verbis *haec ossa et hanc maciem.* Atticorum enim erat, ut scriptum videmus Cic. Brut. XVII. 68 *Lysiae et Hyperidae* ossa *tantum, non sanguinem imitari.* Quam ob rem non errabimus, primum si in codicum scriptura Atti vel Acti Latinorum oratorum eos denotatos viderimus, qui imitabantur Atticos. Quae res magis

---

1) Cic. Brut. XVI. 64.

etiam fit veri similis inde, quod paulo post legitur C. Licin. Calvus, quem Atticorum imitatorem fuisse docet Quintil. X. 1, 115: *Inveni qui Calvum praeferrent omnibus, inveni qui Ciceroni crederent eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse; sed est et sancta et gravis oratio et custodita et frequenter vehemens quoque. Imitator autem est* A t t i c o r u m. Latere igitur primum statuimus in codicum scriptura A t t i illud A t t i c u m.

Iam de *Canutio* videamus, qualis sit. Apud Ciceronem Brut. LVI. 205 scriptum est P. Canutium, Ciceronis aequalem, habuisse famam Sulpicii Rufi orationes, quae tum ferebantur, post mortem Sulpicii scripsisse. Quae orationes, si quidem putandae sint Sulpicii ingenium et indolem vere reddidisse, non potuerunt esse Attici generis. Fuit enim Sulpicius *vel maxime omnium grandis et quodam modo tragicus orator* Cic. de or. II. 23, 96. III. 8, 31. Brut. LV. 203. or. XXX. 106. Canutius igitur Atticus non fuit.

Et *unum de populo Canuti?* Quam ridiculum, populus Canuti! Hunc C a n u t i u m iam perspiciemus ex Cic. Brut. LXXXIV. 289: *At cum isti Attici dicunt, non modo a corona, quod est ipsum miserabile, sed etiam ab advocatis relinquuntur. Qua re si anguste et exiliter dicere est Atticorum, sint sane Attici, sed in* c o m i t i u m *veniant, ad stantem iudicem dicant, subsellia grandiorem et pleniorem vocem desiderant.*

Non igitur *unum de populo* c o m i t i nominabit Aper. In comitio enim humiliorum hominum minores causae dicebantur, quas de plano exigebant stantes iudices. In comitio Attici oratores suum habebant locum, quam ob rem de Calvo scriptum est Cic. Brut. LXXXII. 283: *a multitudine autem et a foro devorabatur.* Ex vocabulo autem c o m i t i quam facile in scribendo fieri potuerit C a n u t i, nemo non videt. Nomen autem proprium C a n u t i falso scriptum *forum et coronam* corrupit in *Furnium et Coranium.* Ridiculum enim est dicere: ego neminem nominabo, quattuor — Canutium, Arrium, Furnium, Coruncanium, id quod coniciunt recentiores — si enumerabis, verba sequentia prorsus mutaveris.

Legendum igitur esse et distinguendum persuasum habeo hoc: *Nec unum de populo* comiti *aut Atticum de*foro *et co*rona nominabo *quique alios in eodem valetudinario, haec ossa et hanc maciem, probant: ipse mihi Calvus* . . . .

Hac in lectione *unum de* dicitur sicut apud Ciceronem *aurifex de via sacra, homo de plebe, declamator aliquis de ludo aut rabula de foro. Alios* autem *in eodem valetudinario* Aper vocat Catonem, Naevium, Ennium, Plautum, Accium, Pacuvium, quos imitando haud pauci saeculi sui oratores populi tritas iam et degeneratas quasi aures ex integro velint educare. Contemptim illi antiqui homines, quod generis dicendi vitium est, ipsi *ossa* vocantur. Qua lectione, si minus id, quod recentiores volunt, attamen ea, quae scripserit Tacitus et Apri sententiae accommodaverit, restituisse mihi videor.

Restat, ut de lacuna illa maiore, quam esse negari non potest, dicendum sit.

Dial. cap. XXXV. 27

cum ad veros iudices ventum . . . . . .

rem cogitare nihil humile vel abiectum eloqui poterat.

Lacuna indicatur in libris his adnotationibus: ‚Hic desunt sex pagellae' A, ‚deerant in exemplari sex pagellae vetustate consumptae' B, ‚multum deficit in exemplaribus quae reperiuntur' C, ‚aliquot versus vacui relicti sunt' D, ‚in exemplari dicitur deesse sex paginas' E. ‚hic deficiunt quattuor parvae pagellae' cod. Venet.

Has notas, quae scriptae sunt in libris, si comparaveris inter se, minimam fidem optimo iure tribues codici C, in quo multum deesse legitur, quippe cui nemo omnium librariorum assentiatur. Ceteri enim consentiunt ita, ut unus quattuor pagellarum, unus aliquot versuum, tres libri lacunam sex paginarum indicent. Quas notas si composueris cum ea re, quod in codice Vindobonensi II. [1]), quem Huemer contulit, unum folium et alterius folii duae partes vacuae relictae sunt, magnam esse lacunam negabis. Lacuna haec si expleta erit integro aliquo codice invento — id quod minime desperandum est — illud quod speramus complementum certe distribuetur quattuor[2]) in capita, quippe quod Lipsio, acerrimo in Dialogo Taciti adversario, id videam accidisse, ut ea, quae extant, in capita divideret XLII. Itaque si quattuor capita accesserint, Taciti tres minores libri, Germania, Agricola, Dialogus unus quisque habebunt capita XLVI, qua in re iam nunc hoc est quodam modo admirabile, quod Germaniae singulae partes eodem et incipiunt et finiuntur loco. Quippe de vita Germanorum privata et domestica narrare auctor incipit inde a cap. 16. de populis singulis a cap. 28. Eisdem ipsis locis cap. 16. 28. in Dialogo de antiquis et recentioribus oratoribus, de fractae eloquentiae causis disputare incipiunt et finem faciunt sermoni. Quid igitur si tres hos libros, Germaniam, Agricolam, Dialogum uni eidemque auctori assignabimus?

Recte autem si coniecimus cum Urlichsio quattuor intercidisse Dialogi capita, duae res pro certo possunt affirmari. Primum illud certum est Iulium Secundum lacunae loco verba non fecisse ita, ut orationem quandam haberet. Omisso enim, id quod supra notavimus, numero totius sermonis et scriptoris, quo usus esse videtur, consilio[3]), quattuor capita Secundo copiam verborum non faciunt. Nemo enim est, qui non videat Messalae orationem esse finiendam, Materno dandum initium. Maternus autem quia hoc quo privati sumus initio de Graecis oratoribus sine dubio exposuit — pergit enim *eadem ratio in nostra* q u o q u e *civitate antiquorum eloquentiam provexit* — nihil fere verborum Secundo relinquit.

Alterum in confesso erit Nicolaum V. P. M. neque eos, qui successere, Pontifices quidquam Diologi de industria aut consilio resecuisse. Pontem enim interruptum si ex propinquo spectaveritis, iam concedetis relicta esse ea, quae offensioni esse poterant, intercidisse candida.

Scripsi Vindob. mense Maio MDCCCLXXXVII.

---

[1]) Zeitschrift f. d. österr. Gymnas. 1878 S. 803 Z. 3. v. o.

[2]) Urlichsio (Eos II. p. 232) recte 3921 litterulae videntur excidisse, totius libelli pars fere decima.

[3]) Conf. supra p. 6. p. 18.